This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

4432
Pamphlets

Zu der

öffentlichen Classenprüfung

der

Schüler unserer Gelehrtenschule

Montag den 23. bis Freitag den 27. März

ladet

alle Behörden der Stadt, so wie alle Freunde und Gönner unserer Schule,

ehrerbietigst und geziemend ein

Professor Dr. J. F. Horn,

Ritter des Danebrogordens,
Rector der Kieler Gelehrtenschule.

Trede, Heinrich

Voran eine Abhandlung des verstorbenen Hülfslehrers Dr. Trede:

Qua arte Hecuba Euripidea composita sit.

KIEL.
Druck von C. F. Mohr.
1863.

888
E8hO
T78

BKE

Vorwort.

Die nachstehende Abhandlung ist verfasst vom verstorbenen Hülfslehrer Dr. *Heinrich Trede*. Um Michaelis vorigen Jahres wünschte er von mir, dass seine Examensabhandlung abgekürzt als Programm erscheinen möchte, ich hatte, nach dem Vorgange anderer Schulen, nichts dagegen zu erinnern. Schon war die Abhandlung zum Druck eingesandt, als Trede in der Nacht zwischen dem 22. und 23. Januar plötzlich starb. Jetzt glaubte ich, die Abhandlung nicht zurücknehmen, sondern als ein äusseres Andenken für die Schule in das Programm aufnehmen zu müssen. Ein inneres Andenken an ihn ist die Liebe seiner Schüler.

Heinrich Trede war geboren den 7. Januar 1837 in Hohenwestedt. In die Meldorfer Gelehrtenschule ward er aufgenommen Michaelis 1846 und ging zur Kieler Universität Ostern 1856, um Philologie zu studiren. Er erwarb sich hier die Gunst aller seiner Lehrer, besonders des Professors Curtius. Nach rühmlichst bestandenem Schulamts- und Doctor-Examen im Frühjahr 1861 ward er Lehrer an einem Institut in Dresden und kam Ostern 1862 hierher als Hülfslehrer. Mit einer für sein Alter seltenen Lehrgabe ausgerüstet, unterrichtete er mit grosser Treue und Gewissenhaftigkeit, bis die Krankheit ihn in der Classe in seiner Pflicht überwältigte. Zwei Tage nachher starb er, nachdem er am Tage vorher mir gesagt, es war am 22sten, um kurze Zeit komme ich wieder. Die Hochachtung seiner Collegen, die treue Liebe seiner Schüler folgt dem Geschiedenen.

Qua arte Hecuba Euripidea

composita sit.

Euripidem ex quo Aug. Schlegelius potissimum omni acerbitate insectatus est, quasi nil aliud ille nisi quisquilias tantum artis tragicae posteris tradidisset, in detrectandis plus aequo poetae fabulis, quamquam singula quaedam collaudare mos est, mire consentiunt nostri temporis existimatores plerique. Quod quo jure factum sit, quaerere hic alienum; id tamen fatemur, vix ea ubique fide eoque studio, quo fabulas Sophocleas, sed taedio quodam praejudicatisque judiciis, percenseri Euripideas idque ab iis maxime, qui in Euripide, quidquid ab eo secus atque a Sophocle institutum videant, statim in vituperationem cadere sibi persuadeant. At duo exstiterunt viri summi Euripidis laudatores gravissimi, Aristoteles et Lessingius quorum confisi, si qua omnino valet, auctoritati, jam non deterreamur judiciis Schlegelii, Hermanni, Gruppii, aliorum v. d. quominus ab his viris in aestimanda Hecuba Euripidea, quae qua arte composita sit, perpendere in animo est, longe dissideamus. Nec tamen desunt, qui poetae patrocinium nuper in se susceperint viri docti. His igitur quum in universum adstipulati simus, quae sive accuratius exposuerimus, sive aliter intelligenda censuerimus, ipsa doceat scriptio [1]).

De rerum statu, in quo incipit actio, hoc monere sufficiat. Redituri eversa Troja in patriam Graeci ventorum iniquitate (900) naves applicarunt ad Thraciae chersonesum, quo bello ineunte Priamus Polydorum filium miserat ad Polymestorem regem, ejus hospitem. (81, 767). In media scena conspicitur tentorium Agamemnonis, Hecubae domicilium, quocum

[1]) Conf. inprimis Hartungii Eurip. Rest. I, p. 507; Pflugkii praef. Hecub.; Fr. Raumeri Vorles. ueber alte Gesch. II, p. 398. Quantum quae disseruerunt Wolterus, Pommerus, alii v. d., profecerint ad fabulam recte aestimandam, nescimus, quoniam eorum dissertationes inspiciendi copia non est data. Jam dolemus, quod per angustos hujus libelli fines alia prorsus omittenda, alia in breviorem conspectum erant contrahenda.

conjunctae sunt valvae captivarum Troadum (1016, 616, 880), quae ut in Troadibus, ex parte chorum faciunt. — Jam igitur primum totius actionis decursus paucis explanandus erit: quo quidem interpretandi munere eo accuratius, quatenus paucis fieri potest, fungi debemus, quo majore levitate et fere cavillantium in modum Gruppius et Schlegelius cum singula tum universum rerum connexum detorserunt.

I.

Prologus. Progreditur in scenam Hecuba[2]) fessa senectute malisque jam perlatis, quae cum de insomniis, quibus proxima nocte vexata sit, triste carmen incipiat, deos inferos, ut hi quidem filium apud hospitem commorantem in Thracia tueantur, anxio obtestatur animo. Jam vero de Polyxena maxime se timere queritur: vidit enim cervam a lupo sibi ereptam laniari. Quod spectrum ad filiam referre eo minus dubitat, quod quandam ex Troadibus Achillis umbram supra tumulum apparentem jussisse sibi immolari haud ignorat.

Parodus (v. 98—153). Ac non vanum fuisse mulieris angorem statim confirmatur commota oratione chori captivarum Troadum. Qui cum nuntiarit, in Graecorum concione, ut Achilli immolaretur Polyxena, decretum esse, exhortatus Hecubam, ut precibus cum Agamemnonem tum deos maxime adeat: etenim tantum non appariturum esse Ulixem ad abducendam hinc virginem[3]). *Epeisodium I.* (v. 154—445). His auditis regina flebili monodia, qua quasi summam faciat cladium, quibus adhuc obruta sit, prorsus se infirmiorem esse lamentatur, quam quae novum hoc malum removeat, quin etiam ne a diis quidem, qui cum urbe eversa interierint, ullum remedium posse exspectari. Jam expers omnis fere consilii in scenam provocat filiam. At Polyxena audito nuntio tantum abest, ut suam conqueratur sortem funestam, ut praeter matris, cui socia servitutis eripiatur, futuram solitudinem nil

---

[2]) De iis, quae Polydorus proloquitur, infra videbimus.

[3]) Constat quidem de Graecorum decreto; at quae fuerint diversae principum sententiae, obscuritate quadam obductum videtur. Verum Achillem nil nisi γέρας flagitasse, i. e. ex Hecubae interpretatione quandam ex Troadibus (v. 95, conf. v. 119) — minime certam captivam, nedum Polyxenam, cum exortis illis inter principes studiis, tum maxime ipsis Achillis verbis (v. 114) luce clarius demonstratur (cf. Hart. Eur. rest. I, p. 512). Quae sententia nec Polydori verbis (v. 40), de quibus Hermannus recte disputat (Hec. praef. p. 27) neque Ulixis (v. 305 — v. 395) diluitur. Quare dubitasse Graecos, sacrificarentne aliquam victimam annon, non miraris (v. 119). Jam videtur in Hecubae commodum dixisse Agamemno: quam rem vitio ei vertebant Thesei filii, tanquam ille solius Cassandrae gratia Polyxenam ab morte defendisset, ipsi dissentientes, quum quaenam potissimum abducenda esset, quaereretur. Atque postremo Ulixem litem composuisse et auctorem suasoremque illius de immolanda Polyxena decreti exstitisse, inde colligas, quod in hunc virum vel maxime invehuntur captivae (v. 131). Ceterum obscuro isto totius narrationis tenore, qui tamen non ita comparatus est, ut plane nimium eum dixeris, chori trepidatio non male depingitur.

habeat deplorandum, contra vel exoptatam sibi contingere dicat mortem: etenim vitam infamia et dedecore inquinatissimam lubentissime abjiciendam. Vix vero de hac re gravissima constat virgini generosae, cum chorus Ulixem adventare nuntiat. Qua re fit, ut, quum cogitabunda in tanto rerum discrimine silentio plane defixa sit filia certa consilii, nimirum mater propellatur, ut verborum gravitate, qua sola valere videtur, gratiam sibi parere studeat durissimi ejus viri, quo neminem apud Graecos auctoritate majorem esse cognoverit. Verum Ulixes, quippe qui, quum mandata sua paucis cum illa communicaverit, statim eam, ut necessitati patienter cedat neve cum potentioribus pro imbecillitate sua frustra velit contendere, admoneat, his verbis nullis se aut argumentis aut precibus moveri satis jam innuit. Sequuntur longiores utriusque orationes bene dispositae et sententiis apte ornatae (v. 251 — 294. 299 — 331). Atque Hecuba quidem virum et impietatis et injustitiae accusat, ut qui, quum — ipso illo concedente — olim Hecubae miseratione servatus sit, nunc hujus rei plane immemor, in modum oratorum plebis gratiam captantium Polyxenae sacrificium Graecis suaserit: etenim, si quae omnino immolanda sit, auctorem malorum omnium, Helenam potissimum mactandam esse. Jam eripi sibi, quae sit tanta fortunae ruina satis afflicta, quod solum habeat solatium, turpissimum esse dicit; at probe tenendum, *pari poena ingenuorum caedes* atque *servorum vindicari* (v. 290). Quamquam Ulixis auctoritate Graecorum consilium facile mutari persuasum sibi esse. Cui iste ipsam, cui tantopere obstrictus sit, ab omni periculo opponit velle se tutari; at Polyxenam nec velle nec posse. Nam immolandam virginem, ut summe honoretur vir summus, qui, ut Polyxenam immolari sibi voluerit[*]), ita tanto sacrificio sit dignissimus. Verum si optimo cuique suum pro virtute contigerit praemium, ad aemulationem alios excitari: qua in re positam esse urbium salutem. Denique quod nullam se filia orba infeliciorem fore questa sit, Graecorum etiam mulieres in summum moerorem detrusas esse belli miseriis. Neque vero matri filiae salus prorsus desperanda videtur, modo ipsa illa ad suorum liberorum memoriam Ulixem supplex excitare velit. Quae tamen constans in proposito, quum consoletur potius virum, ne animum demittat, (ἄκρασι inquit mira quadam irrisione v. 345), denuo sponte se et laeto quodam animo discedere e vita vili at abjecta pluribus verbis affirmat (342 — 378). Jam igitur Hecuba et ea quidem, quae filiae generositatem non possit non comprobare (382), quasi ultimam salutis ancoram complexa primum pro filia ipsa mortem subire velit, porro, quoniam illam, non matrem sibi mactari velle Achillem certis verbis obloquitur Ulixes, orat et obsecrat, ut una certe cum filia immoletur. Et contra dicente isto decreto satis jam filiae nece factum esse, tum demum summopere concitata vim vi repellere conatura fuisset (400), nisi eam, ne tam turpiter sese abjiceret, monuisset filia. Jam igitur delabuntur in molliores, quae est tristis rerum condicio, querelas utraque femina, quarum altera praeter

*) Quod nominatim Polyxenam Achillem flagitasse, hic dicit, hoc sane in Graecorum commodum commentari Ulixem, statuendum erit, si, quae supra de hac re diximus, recte disputata sunt (conf. v. 395).

matris futuram solitudinem paucis suam ipsius praematuram eamque turpissimam mortem, altera vel maxime suae, quae futura sit, sortis iniquitatem cogitat atque deplorat. Haec tamen quum se esse miserrimam, miseriorem filia fateri non desinat (415. 417. 423. 425. 427), postremo de Polydoro filio, solo, quod supersit, solatio gravissime admonetur a filia, qua abducta doloribus paene fracta[5]) mortuae instar concidit. — *Stasimum I.* (v. 444—483). Troades, quem cuique dominum locumque sors datura sit, reputantes, et mala jam praeterita et quae futura sint, negotia servilia deplorant[6]).

Epeisodium II. (v. 484—629). Finito chori cantico in scenam inducitur Talthybius, Graecorum praeco, quem arcessiturum Hecubam, ut ipsa filiae defunctae[7]) instituat funebria, miserunt Atridae. Is igitur ut est senex gravis atque honestus, quum conspexerit illam humi

---

[5]) Versus 441—443, quos ab Hecuba certo abjudicabis — mirum enim in modum languent auditis is, quae modo antecedunt (ἀπωλόμην, φίλαι) et in ipsis verbis nimis artificiosi quid habent — cum Dindorfio potius damnandi quam cum Hermanno choro tribuendi sunt. Namque redolere videntur futilem opellam hominis, qui speciosam Helenae exsecrationem hic non male se habere opinatus sit, quum respiceret maxime chori verba v. 913 sqq., jam ejusdem v. 635, Hecubae v. 265. Quae quidem suspicio gravissime Troadum versibus 772, 773 fulcitur collatis.

[6]) Ut de chori cantici hujus fabulae paucis dicam, recte fecisse poetam censeo cum Hartungio (Eur. Rest. p. 583), quum ita eos componeret, ut non totus se ad Hecubam applicaret, sed communem magis captivis omnibus sortem chorus spectaret. Certe sententiae graviores captivarum moribus parum responderent, querimoniae vero, matrem filiamque spectantes, vim tragicam potius debilitarent quam augerent. Similem in modum Fr. Raumer (Vorles. ueber alte Gesch. II, p. 389): dies Verbreiten des Interesse ist der Haupthandlung nicht nachtheilig; es erscheint natürlich und zugleich als mildernder Ruhepunkt. Itaque hoc stasimum, quod si solum Aristotelem de chori vi disserentem (poet. cap. 23) sequeris, in magnam vituperationem cadit, habeas deverticulum quoddam idque aptissimum, quo commoti spectatorum animi aliquantulum leniantur, neque tamen ab ipsis Hecubae rebus prorsus deflectantur. Quamquam secus sentit de hoc stasimo Hermannus (Hec. praef. p. 16).

[7]) Contra eos, qui Euripidem duas confudisse scenas dicunt, recte disseruit G. Hermannus ad v. 33, quum doceat, scenam eorum, quae coram spectatoribus aguntur, unam esse eamque in Thraciae chersoneso constitutam, Polyxenam vero immolari supra Achillis tumulum in ipsa Troade situm. Qua in re si cui nimis celeriter ex Troade in Chersonesum videtur rediisse Talthybius, is profecto nimis angustos fines tribuit legibus illis, quae loci unitatem temporisque flagitant. Nihilotamen minus opinari video Firnhaberum v. d. (Mus. Rhen. 1842) rem ita fingi necesse esse, ut Polyxena in ipsa Chersoneso immolari putanda sit: etenim instituto semel in Troade Polyxenae sacrificio permirum esse ad corpus filiae abluendam aquam hauriri in Chersoneso. Attamen id ipsum, quod gravissimum deprehendisse sibi visus est v. d. argumentum, facile concidit, modo Polyxenae corpus, sacris in Troade peractis, asportari in Chersonesum fingamus: Atque fingere tale quid ut licet in re, quae extra scenam agitur, ita necesse videtur, nisi Euripidem negligentius quam callidius immolationis locum occultasse statuimus. Talthybius vero quod v. 521 dicit, παρῆν μὲν ὄχλος γὰρ Ἀχαϊκὸν στράτου, ut senex et praeco rem amplificare videtur. Nimirum, navigantibus in Troadem Graecis, haud paucos in captivarum custodiam remansisse in ipsa Chersoneso cogitandum est. Sed jam, quum de scena eorum, quae coram spectatoribus aguntur, constet, missam faciamus alteram, quae est de immolationis loco, quaestionem ut levioris momenti. Sufficit, quod in Troade peracta esse sacra et verisimillimum est et apte potest cogitari.

prostratam, primum dubitationem quandam, num revera dii res mortalium ea, qua par est, justitia moderentur, an temere omnia ac casu accidant, deinde rogatus ab ipsa Hecuba — quae quum ad supplicium se ipsam abducturum praeconem adesse opinetur, initio gaudio paene exsultatura est, mox de mandato certior statim facta in summum relabitur maerorem — narrationem copiosam illam quidem, sed egregiam de Polyxenae immolatione profert (516—584). Quam tamen singillatim persequi supersedere licet. Mortem illa oppetiit tanta non modo constantia, sed etiam virginali decentia (569), ut ad summam admirationem commoti sint Graeci: qua fit, ut Talthybius non possit, quin liberis felicissimam praedicet Hecubam eandemque infelicissimam. Atque et ipsa mater filiae generositatem admirata magis magisque adeo animo confirmatur, ut statim cogitabunda nimium luctum jam se deponere dicat (603), quamvis tanta malorum mole oppressa sit, — unde in longiorem meditationem de virtutis origine digreditur (591—803) eamque, quippe quae meram *ματαιολογίαν* contineat, parum rebus aptam [6]). Tum prompta ad agendum Talthybium jubet Atridas admonere, ne Polyxenae corpus Graecorum manibus attingi velint, ancillam ad mare aquam, qua ipsa filiae corpus abluat, petitum ire, Troades denique ad inferias rite instaurandas, si quid ex pristino ornatu Graecos celatum habeant, in suum tentorium statim conferre. Jam vero ipsa domum intrat, quum iterum secum loquens, quo magis animum sibi corroboret, de fragilitate rerum humanarum graviora quaedam pronuntiarit. — *Stasimum II.* (v. 629—656). — Chorus brevi cantico eoque argumenti satis exigui ex Paridis Helenaeque conjugio queritur omnem, qui jam ingruerit, Graecorum non minus quam Trojanorum luctum atque maerorem ortum esse. *Epeisodium III.* (v. 657—904). In scenam prodit corpus quoddam velatum asportans serva e maris littore reversa. Quae dum anxie, Hecuba quo commoretur loco, ex choro quaerit novum jam imminere malum clamitans, ipsa illa progreditur atque cujus attulerit corpus, num Polyxenae, jam num Cassandrae, primum mirabunda, tum commotior percontatur. At, aperto errore quum simul cum corpore vestibus nudato filium trucidatum Polydorum agnoverit, inter chori querelas servaeque verba Polymestorem, Thracum regem, quem quidem filii occisorem esse ex visis illis nocturnis facile sibi persuadeat (710), ira subito effervescente exsecratur.

---

[6]) Poetam, quod narratione audita Hecubam omnino de rerum connexu tranquilliore animo meditantem inducit, vix jure quisquam reprehendit. At ejusmodi, qualem hic habemus, meditationem profecto frigidiorem esse, quam quae ferri possit, immerito negat Hartungius (Eurip. rest. I, p. 518, quamquam in universum recte sentire virum doctum concedes, quum dicat: aut omittendum fuit Euripidi illud disciplinam bene vivendi tragoediis suis illustrandi institutum, aut eidem praecepta, quibus exempla explicarentur, aptis locis disponenda. At id ipsum quaeritur, an aptus hic locus inveniatur. Quare hanc certe meditationem importunis illis locis abscribes, propter quos nostrum immodice carpserunt cum veteres tum recentiores. Conf. Diog. Halic. de vet. scr. cens. 71; Aristoph. Ran. 91, 954; Nachtr. z. Salz. Theor. V, p. 353. Verum Euripidem, ut qui ipsam Hecubam dicentem faciat: *καὶ ταῦτα μὲν δὴ νοῦς ἐτόξευσεν μάτην* (603), non male castigare videtur Eustathius his verbis: *ἐὰν μάτην, διά τί, ὦ Κύριπίδη, ὅλως ἐτόξευσεν.*

Non tamen in eo acquiescere potest mulier acerbissimis nunc instigata doloribus: adeo est penitus laesa, ut mire erecta ad rabiem ferocissimam pariter atque ad summam virium suarum fiduciam nil amplius cogitet, nil concupiscat, nil omni contentione appetat, nisi ultionem. Itaque quoniam, si Graecorum ope careat, infirmiorem se esse statim intelligit (v. 749) non dedignatur quamvis elati sit et fastidiosi animi, supplex precibus aggredi virum sibi infestissimum et eum, a quo modo tanta injuria affecta sit. Advenit enim Agamemno, miratur, quid sit, cur illa in funere instituendo cunctetur, explorat, cujus Trojani sit caput istud, obstupefactus. Is igitur ab Hecuba, quippe quae secum locuta paullulum incerta, quid sit faciendum, fluctuarit, tandem de re ipsa brevi diverbio certior factus, longiore jam oratione jam eaque gravissima (786 — 845), ut vindictam hominis subeat, imploratur. Atque primum quidem premit illa sceleris ut ab hospite patrati summam foeditatem (790—797)[9]; deinde provocat ad supremam legem sive justitiam, qua efficiatur ut deos esse credamus, improbissime nunc quidem violatam (798 — 805), ostendit suam ipsius imbecillitatem nimiamque miseriam (806 — 811), quin etiam his dictis[10] parum correptum quum videat principem, memoriam repetit Cassandrae, cujus ille amore inulto Polydoro non sine magnis sui opprobriis fruiturus sit[11], (825 — 835), denique tota innititur precibus pondere suo ad miserationem excitandam efficacissimis (835 — 845). Quibus auditis chorus quidem non potest, quin vulgares agendi rationes (*αἱ ἀνάγκαι*) aeternis legibus (*τοῖς νόμοις*) definiri exclamet; at rex ille timidus atque enervatus, quum scelus vindicandum esse jam nunc concedat, tamen tum demum miserae subvenire se velle profitetur, si sine ullo suo ipsius damno vindicta instituta videatur in solum Hecubae commodum. Nam Polymestorem amicum et socium Graecorum, hostem Polydorum haberi: qua de re fieri posse, ut exercitus clamitaturus, Cassandrae gratia servum adjuvari, prodi amicum, in se ipsum vehementissime invehatur. Cui illa satis sibi factum respondet,

---

[9]) Versus 793—797, qui quidem viris doctissimis quibusdam suspecti visi sunt, in ipsum sententiarum connexum egregie quadrant idque adeo, ut si abessent, certo requirerentur; recte enim Hermannus Hecubam id agere debere ait, ut quam maxime detestabile esse facinus illud ostendat. Quare, etiamsi insunt, quae minus videantur facilia, tamen, quum ea inveniri nequeat difficultas, quae necessario interpolatorem redoleat, profecto non est, quod contra codicum auctoritatem criticorum illorum rationi nimium tribuamus.

[10]) Aliquot quidem interpositis ad eloquentiae laudes spectantibus, quibus iterum in digressionem hic prorsus jejunam evagatur.

[11]) Id ipsum, quamquam haud sane mirum videri potest in ea femina, quae ultionem unice appetat, tamquam prorsus inepte decentiam atque honestatem laederet, summam indignationem movit Schlegelii hunc in modum lamentantis (Dram. Vorl. I, p. 213): es muss Unwillen erregen, wenn Hecuba, um den Agamemnon zur Bestrafung des Polymestor zu bewegen, ihn an die Freuden erinnert, welche Cassandra ihm gewährt habe: sie will die Rache für einen gemordeten Sohn mit der *eingestandenen und gebilligten Erniedrigung erkaufen*. Verum unde compertum habeat vir sagacissimus, *comprobasse* matrem filiae *infamiam*, nobis quidem caligine aliqua obductum est. Ceterum conf. schol. ad v. 808: *οὐ μαστροπώδεις οἱ λόγοι*.

modo rex conscius sit supplicii et ab ipso cohibere velit militum catervam: etenim solam cum Troadibus ultionem se persecuturam, famula per Agamemnonem tuta ex castris subducta invitatum Polymestorem, ut quam celerrime cum liberis ad Hecubam accurrat. Atque adnuit ille licet *tantam* mulieri *gratiam* se non fuisse daturum, nisi ventis contrariis naves hic forte retentae essent, graviter affirmet (895 sqq.). Abeunt uterque, et Hecuba quidem paratura ad supplicium necessaria. — *Stasimum III.* (905—952). Sequenti chori cantu sane pulcherrimo Trojae expugnationis imago adumbratur: quae res cum iis, quae statim geruntur, apte ita cohaerere videtur, ut quemadmodum tum temporis Graeci fraude ceperint Trojam, sic Troades nunc simili fraude Polymestorem circumveniant. — *Exodus* (953—1295). Jam ea impudentia, qua insignes sunt scelestissimi homines iidemque vaferrimi, cum Hecuba sermonem instituit Polymestor, qui stipatus satellitibus cum liberis in scenam processit. Is enim salutat simulata comitate et pietate reginam, cujus sorte apertissime confirmari ait a diis perturbari omnia (956), tum excusat se illi, quod quum in Thraciae montibus commoratus esset, venire adhuc cunctatus sit: modo sibi reverso servam forte occurrisse. Hecuba vero, quippe quae primum prae ira vix oculos in hominem convertere possit, quum hujus rei causam callide ex pudore suo luctuque repetendam affirmarit, mox interrogantem eum, quidnam sibi voluerit regina, recuperata facile priore constantia, servorum catervam statim dimittere jubet: nam peculiare aliquid regi se ejusque liberis impertituram. Qua re facile impetrata, simulatque, ut par est, ex Polymestore quo modo Polydorus se haberet — quem optime valere impudentissime ille mentitur — mira constantia quaesivit, alternis versibus mox ei, ut cum liberis tentorium introeat, persuadet: magnam ibi se abscondidisse pecuniam, quam regi ejusque liberis — hos enim adesse indicat, ne, si patri quid acciderit, rerum ignari sint — se demandaturam. Et Polymestor, quamvis jamjam suspicionem quandam movere videatur, tamen caeca aviditate abreptus temere mulierem prosequitur. Atque vixdum de inevitabili scelestis divina justitia chorus gravem sententiam leni jam cum miseratione dixit, quum intus exaudiuntur Polymestoris prae doloribus et ira in Troades frustra saevientis lamentabiles clamores, dicacissimae subinde voces ipsius Hecubae impotenti gaudio exsultantis. Haec vero statim in scenam prodiens irruenti jam in tentorium choro atque ab ea, quid patratum sit, quaerenti, occaecatum Polymestorem, liberos trucidatos gloriatur. Subsequitur ipse ille misere foedatus et, quum instar ferae omni torvitate Troades huc illuc fugatas insecutus inani furore se insanire [12]) funditus persentiscat, lugubri carmine (1155 — 1106) tunc planctus feroces

[12]) Quamquam plerumque Euripidem egregium animi affectuum pictorem fuisse constat inter aestimatores, tamen ne in hac quidem re plane excelluit poeta, si adstipularis Fr. Jacobsio cum generaliora quaedam tum de Polymestoris furore haecce afferenti (Nachtr. z. Sulz. Theor. V, p. 388): *beleidigend*, aber als energische Wahrheit vortrefflich ist die Wuth, mit der der geblendete Polymestor die Hecuba nebst ihren Begleiterinnen verfolgt. At num recte nobis fecisse videbimur, si, quod apud Shakespearium centies suo jure admiramur, id idem, tanquam offensionis aliquid habeat, apud Euripidem vituperamus?

tunc moestas effundit querelas, usque dum audita voce Agamemnonis cum militibus incedentis tum demum videatur deferbuisse. Jam vero hic, quasi rerum connexus prorsus inscius, mox causam capitalem instituit, ipso judice, reis et iisdem accusatoribus Hecuba et Polymestore. Atque verbosae audiuntur utriusque perorationes, quae tamen et nobis quidem satis languidae neque ipsi animorum commotioni, qua litigantes perculsi sunt, accomodatae videantur. Alter igitur gratiam et miserationem principis eo captare studet, quod primum Polydorum se interfecisse in solum Graecorum commodum simulat, ne forte post modo eversae urbis vindex evasurus sit, tum quod, ea, quae modo perpessus est, alacri ore cum feminarum exsecratione depingit (1132—1182); altera ex illo verborum fuco exorsa, quo sophistae injusta quaelibet mirifice obtegant (1192), caedem ab isto propter solam aviditatem factam esse argutius argumentatur (1187—1238): qua re fit, ut dato judicio mulieris causa prorsus obtineat. Attamen Polymestor, ut qui, quum illa expiato scelere immodice laetetur, iracundia denuo excandescat, postremo Hecubam in canem[13]) mutatum, Cassandram et Polymestorem Clytemnestrae ferocia necatum iri vaticinatur, ipsa muliere summa cum sui neglectione singula perscrutante. Tum demum Graecorum princeps expelli jubet in desertum hominem, qui ne sic quidem perjuriis et maledictis pepercerit, Hecubam autem liberorum ossa uno inferre tumulo[14]). Jam enim exortis subito ventis secundis in patriam redituri sunt Graeci.

II.

De fabulae virtutibus et vitiis nobis judicium proposituris eam viam ingredi liceat, ut quid ipsi sentiamus, ordine exponamus, quum criticorum suffragia gravissima, quae tamen saepius nil aliud nisi male alterum alterum pessime institutum esse sonant, passim percenseamus. Atqui, quod in Hecuba maxime offensi videntur esse recentiores, id in eo positum est, quod quum conjuncta Polyxenae immolatione intra unius dramatis fines cum Polymestoris

---

an fortasse putabimus, in Euripidem etiam cadere, quod de Anglo celeberrimo clamitare sibi sumpsit Voltarius quum dicat: Corneille était inégal comme Shakespeare; mais le génie de Corneille était à celui de Sh. ce qu'un seigneur est à l'égard *d'une homme du peuple*?

[13]) Hartung. quod Hecubae mutationem inquit noli credere poenam esse crudelitatis, miro in errore versari consentaneum est. Ceterum conferas Cicer. Tusc. quaest. III, 20: Hecubam putant propter animi acerbitatem quandam et rabiem fingi in canem esse conversam.

[14]) Fabulae exitum, quasi prorsus ridendus esset et scurrilis, sic explanare placuit Gruppio, viro eruditissimo (Ariadn. p. 368): Polym. verkündet ihr, sie werde in einen Hund verwandelt werden. Nachdem die Königin von Troja hiernach bei ihm sich des Näheren erkundigt, macht Agam. dem Zank ein Ende, indem er *ihnen* gebietet den Mund zu halten. — Extremum hoc plane somniat v. d.; sin vero ex Agamemnonis verbis *οὐκ ἐφέξετε στόμα* (1283) tale quid eruisse sibi visus est, interpretantis munere male functus est.

vindicta res inter se diversissimas temere conglutinarit poeta, actionis quam dicunt unitatem, ut in aliis haud paucis nostri fabulis, sic in Hecuba graviter laesam esse clamitant [15]).

Neque vero illud notasse satis habent: Schlegelium, Gruppium, Hermannum si sequeris, fabulae exitus et res propositae et personarum mores tam foedi sunt, ut vix eos tragoedia dignos habeas.

Itaque, quoniam iniquius quam verius judicasse censemus viros illos eximios, argumentum fabulae ita jam pervestigandum erit, ut ab eorum criminationibus poetam defendere periclitemur.

Atque primum quidem, quo planiorem nobis ad stabiliendam nostram sententiam aditum aperiamus, in utramque fabulae partem ita inquiramus Hermannum, alios secuti, tanquam altera ab altera prorsus sit sejuncta. Jam igitur, quum de priore parte, quae Talthybii narratione absolvi dicitur, prius agendum sit, ab Hermanni judicio liceat exordiri. Qui, quum dicat totam fabulam continere duarum tragoediarum argumenta, tempore quidem, non re conjuncta (p. 15), paullo post vel in eum abiit mirum sane errorem ut in priore parte recte compositam et bene elaboratam tragoediam sibi deprehendisse visus sit (p. 16). At primum contra Hermannum monuerim prorsus eum falsum esse, qui Polyxenam primariam partem agere contendat. Etenim quae tantum abest ut cum ullo agentium revera confligat, ut certa statim consilii sponte et lubentissime inimicorum consilia sua faciat, ea ad summam quidem admirationem, sed ad vere tragicam miserationem metumque nullo modo movemur. Unde etiam causam, qua sententiam suam fulcire studeat vir summus, inanem esse elucebit, quum generosam mentem puellae eos sensus spirare opinetur, qui maxime proprii sint tragoediae. An forte ii primarias in quavis actione partes satis explevisse putandi sunt, qui talem animi magnitudinem prae se ferant, ex qua nulla unquam contentio, nedum tragica, oriatur? [16])

Quod si haud sane statuendum est, reputes, quaeso, Polyxenae partes ita esse comparatas, ut in Hecubam inde ab initio tragoediae spectatorum attentionem et studia vel maxime

---

[15]) Conferas inprimis W. Schleg. Dram. Declam. I, p. 25[illegible], Herm. praef. Hecubae p. 15, Grupp. Ariadn. p. 372, Zinsdorf. de chronol. fabul. Eurip. p. 35. Ceterum quod docet Gruppius (Ariadn. p. 365): es giebt bei Euripides Nichts zu analysiren, weil es bei ihm *im Sinne des Sophocles* gesprochen keine Composition giebt, — verissimum quidem illud, quod *Sophocleam* compositionem si quaeris apud Euripidem, reperies nullam. Idem vir doctus omnia omnino in arte Euripidea reprehendenda judicat in ipsa Hecuba cumulata esse; porro si quae singula laudanda, haec surripuisse Euripidem Antigonae Sophocleae. Quod quum ponat v. d. utinam staret promisso; promisit enim se probaturam esse, quae posuerit.

[16]) Conf. Arist. poet. VII, 14. Herm. ἔτι ἄνευ μὲν πράξεως οὐ γένοιτο τραγωδία· ἄνευ δὲ ἠθῶν γένοιτ' ἄν. — Hermannianam tragoediam Schlegelius hisce laudibus ornavit (p. 252): die erste Hälfte hat Schönheiten von der Art, wie sie dem Euripides vorzüglich gelingen, *Bilder zarter Jugend, weiblicher Unschuld und edelmüthiger Ergebung in einen frühen gewaltsamen Tod.* At mirum quantum fallitur vir egregius, quippe qui, quod cadit in Iphigeniam, Macariam, Erechthei uxorem, quae quum suorum salutem recuperaturae sponte vitam abjiciant, hanc ipsam minime ducunt intolerabilem, ad Polyxenam referre non dubitet. Nam Polyxena, cujus moribus duri et ferrei quid inest, ut eam viraginem paene dixeris, praecipue

convertantur. Quare ab ipsa Hecuba, quae sola cum vere misera evadat tum fortiter confligat cum rebus adversis, primariam partem agi vix est, quod moneam. Verum Hecubam si maxime nos miserari, Hecubae soli nos metuere concesseris, si porro quemnam ad finem tragica, quae inter mulierem et Graecos est, contentio Polyxenae immolatione perducta sit, cogitaveris, propter hunc ipsum rerum exitum pro tragoedia poetam nobis proposuisse dices meram calamitatem, qua femina innocentissima eaque omni, qua se defendere possit, ope destituta subito vi aperta in summam miseriam detrudatur summaque injuria adficiatur. Jam vero Polyxenam quidem, quae tanta generositate mortua sit, victricem evasisse constat, at Hecubam omni ex parte succubuisse iis, a quibus injuria commissa sit, non minus in aperto est. Quid igitur? Nonne ipsa illa Polyxenae mira victoria Graecorum injusta causa quasi quodammodo vel expiata ipsiusque injustitiae maculis purgata videtur? Hoc autem, si quid video, foedum est, quoniam ea ante oculos exponitur injuria, quae ipsius actionis decursu quasi ab infamia videatur liberari, quum simul filiae generositate, qua per se excelsi et alti quid toti actioni aspergitur, matris miseria eo magis illustretur.

Sed jam posteriorem fabulae partem, quam in Polymestoris vindicta versari dicunt, ita perstringamus, eam ut praeter Hecubae partes cum priore nihil commune habere parumper ponamus. Quod si fecerimus, certe speciem quandam veritatis ex Hermanni judicio illo durissimo (p. 16), secundum quod exitus fabulae praeter nomen et versus nihil habet tragoediae, eruemus. Anus proponitur, quae conspectu filii trucidati ad rabiem subito erecta per plane singularem Graecorum principis ignaviam ipsa de occisore filii dirum supplicium sumit. Itaque habes alteri hominis scelestissimi flagitio alterum mulieris graviter lacessitae impositum, quorum utro magis offendaris, haereas incertus. Non enim satis perspicias, quanam gravi de causa res tam terribiles, ut quae, quum indignationem potius quam miserationem animique sedationem efficiant, per se parum tragicae videantur, coram spectatoribus omnino agantur. Accedit alterum idque gravissimum, quod res, quae proponuntur, parum probabiliter procedunt. Etenim Hecuba qui fieri potest ut filium occisum esse a Polymestore et ipsa pro certissimo habeat et persuadeat Graecorum principi? Numquid visum illud nocturnum, quod sibi obversatum esse affirmat nec tamen, quale fuerit, satis indicat, tanti momenti est, ut in re capitali argumenta compensare possit? An precibus mulieris commoveri opinaris virum timidissimum, qui Polymestorem, licet oportere eum poenas dare non possit non intelligere, socium habeat Graecorumque invidiam revera magis quam injustitiam servae illatam perhorrescat? Parum id verisimile nec minus tamen feminae, quam iracundia exardescere videat, indulget.[17])

---

grandi illa constantia, qua necessitati pareat mortemque subeat, excellit: qua re etiam fit, ut virilem virginis indolem magis admiremur quam ejus sortem, quae ipsi exoptata sit, miseremur. Non magis Gruppius (Ariadn. p. 375) poetae in Polyxenae moribus proponendis consilium intellexit.

[17]) Haud dubie, in errore versatur Hartung. (Eur. rest. p. 514), quum dicat: „neque credibile esset

Sed ante omnia offendimur mulieris, quae quidem nulla alia re nisi viso quodam obscuro nitatur, ferocia repente orta. Namque id haud sane mirareris, si conspecto Polydori corpore terrore pariter ac doloribus acerbissimis obstupefactam fracto animo animum concidere videres: quae tamen eadem ad iracundiam praeter opinionem impotenter abripitur. Omnia denique, quae deinceps ab Hecuba aguntur, machinas dico illas, quibus ultionem assequitur, et ultionem ipsam tam dire patratam, haec vix excusantur nisi in ea femina, quae secus agere non potuisse putanda sit. Quamquam id ipsum ex hac sola fabulae parte non explicabis.[16])

Quae si ita sunt, utramque partem, si cum Hermanno, Schlegelio aliis v. d. ab altera alteram divelleris, tantum habere offensionis, ut neutra per se stare possit, evicisse nobis videmur. Quod idem in optima quaque tragoedia facile efficies, modo hanc eandem factitandae criticae rationem inieris i. e. quae conjunctim unum faciant, ea ut membra quaelibet disjecta perstrinxeris. Sin vero ad priorem partem posteriorem revocando utramque ex poetae consilio explicaveris, eum consulto et arte aliqua singula sic quidem adornasse invenies, ut perfectam conderet tragoediam, cui suo quaeque loco apte inservirent, totumque poneret, cujus partes graviore sane quam temporis vinculo cohaererent. Itaque curto illi atque sine altero debili judicio, quod de singulis hujus fabulae partibus per se positis modo protulimus, alterum idque plenum statim opponamus, ut primum ipsum consilium, ex quo quasi interno vinculo omnia, quae aguntur, nexa atque suspensa sunt, adumbrare, tum illud quomodo in rebus personarumque moribus proponendis persecutus sit poeta, enucleare studeamus.

Jam igitur, quid sibi voluit poeta, quum res tam diversas unius fabulae finibus circumscriberet? Atque illud quidem ei, qui totius tragoediae argumentum respexerit, primo jam aspectu dubium videri non possit, quin res mulieris agantur, quae temporum gravitate sensim in eum animi fervorem et insanium detrudatur, ut terribile quoddam facinus committat. Sed poeta, ut nil aliud tanto labore effecturus fuisset, haud scio an egregiam quandam

licere feminae regem victorum socium impune pessumdare, nisi viros Graecorum principes i. e. *Agamemnonem* et *Ulixem variis beneficiis* obstrictos habeat;" quibuscum verbis conferas, quae idem v. d. monet: „Hec. ex tribus liberis, qui quasi ex naufragio servati superfuerunt, duobus orbatur: *tertii* gratia alterius justa funebria, alterius ultionem consequitur." Ulixem num obstrictum habeat necne, id ad Polymestoris supplicium nil valere, non minus adparet quam eum virum quippe immolata Polyxena Hecubae quam maxime invisum in fabulae exitu aptas nullas agere posse partes. Jam vero quonam quaeso *beneficio* conciliasse sibi putanda est Agamemnonis gratiam? Mirum sane in modum falsus est v. d., quum de Cassandra cogitet. Contra Agamemno tantum abest ut Cassandrae gratia ad miserationem moveatur, ut haec ipsa aliquamdiu moretur viri consilium admittendae Polymestoris vindictae (v. 855).

[16]) Praes. p. 19 Hermannum vides Euripidem docentem, quomodo ex ipso fabulae exitu legitima oriri possit tragoedia, etsi vir sagacissimus, quum poetae vice fungatur, multo difficilius, inquit, erat de Polymestoris facinore condere tragoediam.

animi affectuum imaginem ante oculos exposuisset, at numquid tragoediam, valde sane quaereretur. Altius igitur res illas cogitantibus tragica nobis proponitur ea contentio, in qua sublimitas humanae voluntatis, qualem prae se fert Hecuba, jura hominum, quippe quae sita sint in humani generis societate, a potentioribus summo arbitrio laesa victrix quidem tutetur, sed tamen ita, ut ea ipsa superiorem esse voluntatem divinam penitus persentiscant spectatores. Quare noster principalem personam esse voluit mulierem initio innocentissimam, quae, quum ingenti injuriarum mole fiat miserrima, postremo illas quidem sua ipsius vi vindicet, at ipsa maneat miserrima, quum in jure suo ab arbitrio defendendo, ipsius justitiae modum excesserit. Sic quodammodo, quae apud divinum Sophoclem ad Antigonam chorus dicit; *προβᾶσ' ἐπ' ἔσχατον θράσους ὑψηλὸν ἐς δίκας βάθρον προσέπισες, ὦ τέκνον, ποδοῖν*, ea etiam in Hecubam videntur quadrare. Eam igitur mulierem cum Graecorum primoribus sic confligere videmus, ut ipsa, quum dignitate sua non minus quam summa erga liberos pietate instigata pedetentim ad acerrimam ulciscendi cupiditatem propellatur, justitiam et reverentiam, quae et inferioribus atque infirmissimis debeatur, a Graecorum potentia defendat, isti vero, quum summas deinceps injurias innocentissimae inferant, hujus ipsius jura non tam in exercitus quam in suum ipsorum commodum cum mira legum divinarum neglectione despiciant atque contemnant. Quamquam miserrima, quantum potest, primum paret necessitati et, quod averruncare nequeat malum, postremo ut animo ferat valido, sibi persuadet. At, quum cesserit Ulixi, in Graecorum commodum Polyxenam ad supplicium abducendam esse asseveranti, vixdum, quamvis misera sit et gravissime lacessita, ipsius filiae constantia et generositate mirum quantum aequo et corroborato animo evasit, quum subito — neque tamen prorsus necopinato — graviore illo et inaudito malo obruitur. Quid jam miraris, quod hanc ipsam mulierem, quae quam firmi pariter atque fervidi animi sit, modo expertus es, nec prorsus confectam concidere nec patienter merum illud scelus ferre, sed hoc in discrimine rerum in summam vindicandae necis Polydori cupiditatem demergi vides? Inde nova ejus cum Graecis contentio, quoniam, quem puniri velit, is socius est eorum potentissimus. Hunc igitur virum, quamvis omnium sit sceleratissimus, servae gratia, cui ne satis quidem ille num occisor fuerit necne, constet, ab iisdem in jus vocari putabis, qui ipsi modo in miseram gravem impietatem committere non dubitaverint? Nihilo tamen minus in sola Graecorum ope omnis vindictae spes posita est. At rursus eos, a quibus modo recenti Polyxenae immolatione laesa sit, hac ipsa injuria sibi devinctos habet. Quare Agamemno, licet, ne videatur ipse in solum servae commodum regem socium punivisse, omne a se vindicandi sceleris officium removeat, exoratus tamen in ipsam mulierem ultionem perfide confert. Atque jam fatali rerum ordine res adeo prospere procedit miserrimae, ut, quum ab ipsis Graecis poenas sumere non possit, aperta certe illorum proditione socium eorum, suum ipsius alterum inimicum, pessumdet ideoque in hunc omnem, qua excandescat, iram atque furorem effundat, hujus unius crudelissima clade omnes, quibus undique obruta sit, injurias quasi una gravissima

plaga expiet. Et profecto si qua est in humana voluntate posita sublimitas, ea vel maxime conspicua fit constanti illa mulieris malis cujusvis generis afflictae contentione atque ardentissima neque ullo impedimento fracta cupiditate injurias sive removendi sive illatas ulciscendi, qua quidem ad summam tragicam miserationem metumque excitemur. Sed misera, quae severissima laesae justitiae vindex evaserit, quum non potuerit non machinis, mendacio, omni denique insania justam suam causam inquinare, nec tamen id ipsum ex divinis legibus admitti possit, si sua quisque jura nullis humanitatis vinculis coercitus immodice defenderit, ipsa jam in gravissimam culpam incidit. Hinc tristissimus tragoediae exitus: mulierem omni omnino praeter ipsam ultionem solatio orbatam cum filia, quae sola omnium liberorum superest, et Agamemnone dira vaticinatione exsecratur Polymestor, cui tamen infelicissima feroci quodam gaudio insaniens respondet.

οὐδέν μέλει μοι σοῦ γ' ἐμοὶ δόντος δίκην.

Sic haud sane dulcem habes suavemque fabulae solutionem, at gravem illam quidem et eam, quae sola tam terribili et grandi argumento accommodata videatur. Eo vero ipso, quod obtinet Hecuba eademque misere succumbit, quamvis, quid habeat in se praesidii excelsa humanae mentis natura, mirum in modum ostenderit, sublimius diversis inter se mortalium studiis videbitur ipsum tragicum, cui ad unum omnes inserviunt agentes, fatum, causa illa simulque finis cujusvis tragicae actionis: quo quidem fit, ut variae illae hominum agendi rationes legibus quibusdam aeternis, quasi suprema quadam justitia destinatis constringantur (v. 847). Sic in ea contentione, quae inter Hecubam et Graecos exorta est, quamquam cum Ulixes et Agamemno, quorum uterque plurimum ambitioni plebisque gratiae tribuunt, et Ulixes quidem simulata civitatis salute, tum maxime Hecuba, quae singulorum jura victrix tuetur, habent aliquam excusationem, tamen Hecubae studiis pariter atque illorum injusti quid adhaeret, atque justum remanet solum illud fatum iis superius, quod ipsa tragica contentione efficitur, non caeca quae dicitur necessitas, ad quam nec omnino revocabant veteres ea, quibus vita humana confunditur, neque ea revocanda sunt, quae in nostra fabula proponuntur. Itaque hac ipsa, qua nulla major est, fati sublimitate in Hecuba, quantum fieri potest, effici arbitramur eam, quam Stagirites dicit, perturbationum in ipsis spectatorum animis purgationem. Etenim, quum, quidquid in humana natura alti sit et exselsi, id inferius esse cognoscatur rerum omnium ordine a divina voluntate constituto, excitata tragica miseratione et metu, vulgares hae animi perturbationes mitigantur inque justum modum rediguntur et commutantur quodammodo in reverentiam supremae justitiae debitam.[19]) Ita poeta eruditus atque philosophus, qui nil enixius assecutus est, quam ut tragoediis quasi gravissimis et

[19]) Vischerus (Aesth. I, p. 299), quum Aristotelem illud *ἀνάγκη τὸν καλῶς ἔχοντα μῦθον μεταβάλλειν· — — ἐξ εὐτυχίας εἰς δυστοχίαν* spectet. Aristoteles, inquit, leitet dies aus seiner Theorie von Furcht und Mitleid ab; hinter welcher aber als ihr wahrer Gegenstand das absolut Erhabene liegt; idem

severissimis exemplis suae aetatis hominum mores excoleret atque meliores redderet, id ipsum denuo Atheniensium animis inculcare videtur, esse revera firmas atque fixas leges, quibus quantacunque sit in praesens rerum omnium perturbatio, regatur ἀγήρως φυσέως κόσμος. Quamquam nostrum, quem increpans Schlegelius sophistam personatum, Bernhardyus poetam ochlocratiae vocare haud gravatus est, aestimatorum plerique plebis gratiam immodice captasse atque id praecipue egisse, ut spectatorum animos quam maxime percelleret, dicunt.[20]) Ad alterum illud paucis recurramus. Nam si qua fabula Euripidea, hac nostra confirmari putamus, poetam, quamvis probaret populare imperium, tamen detestatum fuisse effrenatam plebis licentiam, qua quidem justi injustique discrimina miscerentur. Ea enim est exercitus conditio, ut, quum secus sentiat ipse princeps cum aliis, id consili capiatur, quod plerisque potissimum arrideat atque eam ob causam ab Ulixe, quo magis in exercitus gratiam se insinuet, maxime fulciatur. Is igitur, quum videatur in solum Graecorum commodum suasor exstitisse durissimi illius de Polyxena immolanda decreti, revera praepotentis plebis libidini ambitiose indulget. Quare, quamvis speciosis argumentis, ut est vir callidus et rhetorum sophistarumque illius temporis artibus satis imbutus, Hecubae illud decretum excuset, a Troadibus recte nominatur (v. 131): ποικιλόφρων, κόπις, ἡδυλόγος, δημοχαριστής, atque male audit ab ipsa Hecuba, ut quae hisce virum castiget (v. 255):

ἐχάριστον ὑμῶν σπέρμ', ὅσοι δημηγόρους
ζηλοῦτε τιμάς. μηδὲ γιγνώσκοισθέ μοι,
οἵ τοὺς φίλους βλάπτοντες οὐ φροντίζετε,
ἢν τοῖσι πολλοῖς πρὸς χάριν λέγητέ τι.

(Cf. Suppl. 412. Bacch. 268.) Jam vero, tanta videtur exercitus nimia potentia, ut, quum vel merum scelus Polydoro occiso patratum sit, ne id quidem expiare velit rex Graecorum, qui tamen plus quam Ulixes humanitati et justitiae tribuat, sed potius timide, fluctuanti quadam inconstantia, ipse vindictam respuat, ne exercitui invidiosus futurus sit (conf. Hecubae verba v. 868: ἐπεὶ δὲ ταρβεῖς, τῷ δ' ὄχλῳ πλέον νέμεις), at prodit socium amicum, ut Hecubae satisfaciat, utramque partem fovendo. Sic ipso hac singulari rerum connexu fit, ut Hecuba, quae modo ante ab ipsis Graecis eam, quae ei debeatur, justitiam nacta non sit, mox nova Graecorum injustitia, quae simul in socium eorum, Polymestorem cadit, cogatur, ut ipsa jura sua tueatur idque nimirum eo majore libidine, quo gravius modo aliorum licentia violata sit.

---

v. d. in Stagiritae tragoediae definitione recensenda hunc in modum exponit (Aesth. III, 2, p. 1386), es müsste aufgezeigt werden, wie das Erhabene des Subjects, — — dem absolut Erhabenen des Schicksals Platz macht — — so dass das Erhabene des Subjects als Bruchtheil eines Ganzen erscheint, et quae sqq.

[20]) Schleg. Dram. Vorl. I, p. 209. Sulz. Nachtr. V, p. 360. Euripides wollte zum Mitleid rühren; das war sein höchster Zweck.

Quae si ita sunt, id unum consilium per totius actionis decursum constanter poetam persequi censemus, ut ostendat ex suprema justitia (*νόμῳ*) nulla potentiorum aperta vi et libidine firmam atque excelsam humanae mentis naturam aut prorsus frangi aut impune laedi posse, sed, quum videatur ab omni auxilio esse destituta, tandem sua ipsius vi victricem atque vindicem obtinere, quamvis in sua dignitate defendenda potentiorum culpa non possit quin novam culpam in se ipsam conferat. Itaque stat revera mulieris sententia, qua ad miserationem frustra commovere studet Ulixem (v. 290):

νόμος δ' ἐν ὑμῖν τοῖς τ' ἐλευθέροις ἴσος
καὶ τοῖσι δούλοις αἵματος κεῖται πέρι.

quamquam immolata Polyxena, non sine justa causa prolata videtur Talthybii illa dubitatio (v. 488):

ὦ Ζεῦ, τί λέξω; πότερά σ' ἀνθρώπους ὁρᾶν;
ἢ δόξαν ἄλλως τήν δε κεκτῆσθαι μάτην
Ψευδῆ, δοκοῦντας δαιμόνων εἶναι γένος,
τυχην δὲ πάντα τἀν βρότοις ἐπισκοπεῖν;

Errat vir honestissimus, errat item homo nefarius, qui casu omnia regi impudentissime jam fatetur, quum hisce verbis miseram irrideat (v. 957):

οὐκ ἔστιν οὐδὲν πιστόν, οὔτ' εὐδοξίᾳ
οὔτ' αὖ καλῶς πράσσοντα μὴ πράξειν κακῶς
φύρουσι δ' αὐτὰ θεοὶ πάλιν τε καὶ πρόσω
ταραγμὸν ἐντιθέντες, ὡς ἀγνωσιᾷ
σέβωμεν.

Etenim fabulae exitu docemur, non infirmiores et inferiores impune summis injuriis afflictari, sed certis quibusdam legibus divinis res humanas regi, unde deos esse nos credere, quippe justitia non arbitrio omnia moderantes. Quod idem Hecubam Graecorum principi summa fiducia affirmantem facit poeta (v. 798):

ἡμεῖς μὲν οὖν δοῦλοί τε κἀσθενεῖς ἴσως·
ἀλλ' οἱ θεοὶ σθένουσι χὠ κείνων κρατῶν
νόμος· νόμῳ γὰρ τοὺς θεοὺς ἡγούμεθα
καὶ ζῶμεν ἄδικα καὶ δίκαι' ὡρισμένοι. [21])

---

[21]) Schol. ad v. 800 recte explicat: *διὰ τοῦ νόμου γὰρ τοὺς θεοὺς γιγνώσκομεν.* Ceterum poeta *σοφός* voce *νόμου* vix provocat ad Sophoclea illa *ἄγραπτα κἀσφαλῆ θεῶν νόμιμα*, quibus respondent potius v. 847 *οἱ νόμοι*. quippe vulgares agendi rationes adstringentes, sed, quum fabulis de diis tralaticiis malam fidem habeat neque iis deorum sanctimoniam effici et stabiliri putet, ponit quasi numen supremum legem quandam naturae, qua suum cuique tribuatur. Hanc igitur legem, qua quidem devinctos deos ipsos non posse fingit non justitia et aequitate omnia moderari, facere, ut deos esse credamus. Cons. frag. 289, 7: *εἰ θεοί τι δρῶσιν αἰσχρόν, οὐκ εἰσὶν θεοί.* Eo autem *νόμῳ*, quem v. 290 Hecuba testatur, certae Atheniensium leges videntur indicari (cf. Herm. ad v. 289).

III.

Ostendendo eo consilio, quod in Hecuba fabula componenda persecutus sit poeta, quum operam modo navaverimus, id quidem effectum putamus, ut falsos esse eluceat, qui nostrum duo tragoediarum argumenta in unum temere consarcinasse opinentur; sed juvat singula quaedam, quae majoris momenti sint, accuratius retractare atque collustrare. Atque primum quidem constat, ne quid prorsus inexpectatum eveniat, providere officium esse poetae exponendis in ipso actionis initio iis, quae nescio quo pacto postea in eundem finem conspirent. Nec facile intelligentem lectorem fugere potest brevi illa Hecubae in scenam prodeuntis monodia (59—97) expositionem quandam actionis subsequentis contineri. Jam initio dramatis bene a poeta provisum est, ut erga Hecubam summa excitetur spectatorum misericordia. Qui, dum miserum illius habitum animumque denuo metu et angore perculsum conspiciant, cum mala, quibus adhuc afflicta est mulier, regina olim, nunc captiva in servitutem detrusa, reminiscentur, tum maxime rerum, quae eventurae sint, summa expectatione tenentur. Tum has quidem res ex utriusque partus feminae, Polydori et Polyxenae fato nexurum esse poetam non minus in aperto est, quam ex ipsius Polydori tristi conditione orituram principalem matris rerum commutationem (*μεταβολήν*). Quid enim, quod de visis illis nocturnis ita queritur misera, ut ad filii fatum praecipue intendat animum eumque ut tueantur inprimis deos obsecrat? Nec mirum hoc in regina, quae, quamvis sit infelicissima, tam elati et constantis animi sit, ut, quum vere maternis sensibus moveatur, simul ambitiose in pristini aulae splendoris memoria versetur. Atqui Polydori salus si conciderit, quum unus ille supersit filiorum Priami, omnis jam regni instaurandi spes amissa est. Quare intelligas quaeso, alicujus momenti esse verba mulieris haecce (v. 79):

ὦ χθόνιοι θεοί, σώσατε παῖδ' ἐμόν,
ὡς μόνος οἴκων ἄγκυρ' ἀμῶν
τὴν χιονώδη Θρῄκην κατέχει
ξείνου πατρίου φυλακαῖσι.

(Cf. v. 73.) Quae si tanta vi primo loco collocantur, si porro, quae statim sequuntur *ἔστιν τι νεόν*, ad Polydori res maxime referas necesse est, cuinam non statim persuasum est, actionis cardinem in his ipsis Polydori rebus positurum esse poetam? Et si quis non modo extremam hujus cantici partem ad spectra de Polyxenae fortuna versari objiciat, quid tandem hoc ad rem? Num inde, id, quod solum quaeritur, colligi licet, priore parte contineri primariam partem? Immo, freti, ut par est, arte et ingenio poetae, quem consulto et non sine justa causa hunc rerum ordinem instituisse paullisper putabimus, nunc quidem id potius reputemus, quo jure noster, qui tamen modo matrem de filii fato maxime sollicitam esse satis indicaverit, eam sub finem cantici in solis filiae rebus tristissimis cogitatione defixam faciat. At,

quum absit Polydorus, adsit Polyxena, jam quum filiae fatum, quale futurum sit, ex Achillis flagitato facile erui posse illa pro certo habeat, quid magis naturali cuidam sensui respondet, quam quod postremo de Polyxenae salute summo angore perculsam vides miserrimam? Quare hac duorum somniorum consociatione, quae, quum ex praesenti rerum statu simpliciter emanare videatur, nihil sane offensionis praebet, et in medias res satis inducimur et, remoto omni ex rerum connexu arbitrio, facilis ad Polyxenae res statim proponendas aditus transitusque effectus est. — At poetae judicat G. Hermannus (p. 16), *quum semel is a Polydori nece exorsus esset*, omnino omittenda fuisse omnia, quae ad Polyxenam pertinerent. Verum quid sibi illud commentum vult? Ut poeta quivis complures res, quas propositurus est, ineunte fabula data opera indicet, num signifero Hermanno, revera *una* tantum et ea quidem, quae primo loco commemoratur, proponenda erit, reliquae, quamvis non minus quum illa poetae consilio inserviant, omittendae? Nullo pacto: sequuntur deinceps res, quaequae sunt, eo ordine, qui quidem maxime respondeat ipsius poetae proposito. Jam id ipsum num nobis probari possit, necne, alia quaestio est, quae haud sane ex primis fabulae scenis sed ex totius actionis decursu dijudicanda sit. An putaverit, ut exemplum addam, vir summus, eam ob causam, quod in primis Lessingianae Emiliae Galottae scenis primum quae ad Orsinam, deinde quae ad Emiliam pertinent res indicentur, statim sequenti actione Orsinae sortem proponendam fuisse, reliqua prorsus abjicienda? — Sed pergit Hermannus (p. 16), Euripides quum *sensisset*, negligentius se duas res in unum conflare, prologi munere Polydori umbrae attributo (1—58) ab eo cautum esse, ne prorsus inexpectatae venirent res proponendae. Gravis haec criminatio, modo sit vera, neque laudandus Pflugkius quod prologi partibus nimium tribuit (Hec. prf. 11). At id certe constat, modo recte ipsa actio procedat, nil valere ad aestimandam fabulae alicujus compositionem, prologus num ipsi actioni praescriptus sit nec ne. Atque, quum modo indicaverimus, ipsius actionis initio de rebus ante oculos exponendis satis verba fecisse Euripidem, gravius jam injungere et premere liceat, etiamsi prologum deleveris, quippe qui cum ipsa tragoedia nullo vinculo conjunctus sit, argumentum fabulae perbene intelligi atque percipi,[22]) ut, si deesset, minime requireretur.

Jam vero, si de poetae consilio supra recte diximus, rerum compositio ita instituta est, ut in Hecubae ultione cardo atque finis tragoediae cernatur necesse sit. Ea igitur, quae

---

[22]) Conf. Lessing. Dram. Hamb. 48. De prologis Euripideis, quum a viris doctis multifariam disputatum sit, unum, quod, licet gravissimum videatur, tamen non satis quantum video, iis probatum est, paucis monuerim. Nam in eo recte sensisse putandus erit Lessingius, quod Euripidem, quum prologos inveniret, id praecipue sibi proposuisse observat, ut his ipsis se non tam fabulae argumento, quam rerum expositione, tractatione, compositione vim vere tragicam assequi indicaret spectatoribus. Cui quidem sententiae Schlegelium (Dram. Vorl. I, p. 215) notum est objecisse, expectationem ipsam in quavis fabula haud levis esse momenti. At ne hoc quidem praefracte negavit Lessing, qui, quum recte judicaret veram expectationem cadere in rerum tractationem, non in ipsas res, egregie observat, tale quid prologis indicare nostrum,

est principalis fabulae actio, ut probabilitate aliqua fieri possit, noster, quum discedat ab antiquae tragoediae actionis simplicitate, in recentiorum tragicorum modum actionis vel potius factorum, quae in eundem finem conspirent, varietate utitur. Quam ita disposuit poeta, ut, quum duplici malo Hecuba obruatur, utroque, Polyxenae et Polydori nece actionis implicatio (δέσις sive πλοκή), posteriore maxime solutio (λύσις) efficiatur. Jam quum Polydori nece audita eorum, quae aguntur, mutatio in contrarium fiat, ipsam solutionem per peripetiam institui adparet: etenim ea mulier, quae quum ut infirmissima Graecorum decreto cedat, miserrime succumbat nec tamen aequum atque tranquillum animum deponat, accedente novo malo eoque longe altero graviore, quod tamen ansam ei expiandarum omnium injuriarum praebeat, in summam ulciscendi cupiditatem et agendi navitatem abripitur: qua fit, ut postremo obtineat atque alterius inimici ope et proditione alterum, illius socium et amicum diro supplicio pessumdet. -- Quod quum de fabulae oeconomia moneamus, ne id quidem negare licet, Polydori necem per se prorsus alienam esse a Polyxenae immolatione: attamen, quae est res maxima, ea inter utramque fabulae partem interesse videtur ratio, ut, quum, detracto exitu actionis, quippe quo Hecuba injurias ad unum omnes expiet, Polyxenae immolatione mera matris calamitas contineatur, qua summopere offendamur, Polymestoris vindicta et foeda sit nec omnino, qui fieri possit perspiciatur, sublata priore fabulae parte. Ut autem immeritum illud malum, quo Graecorum injustitia affligitur Hecuba, compensatur terribili Polymestoris vindicta ut qua vindex illa exstiterit laesae justitiae, sic mulieris insania conspecto Polydori corpore orta atque ipsum occisoris supplicium satis excusatur et explicatur iis, quae trucidati filii agnitionem antecedunt. Itaque, poetae quum id ante omnia agendum esset, ut ostenderet mulierem, quam tanta insania vellet tam dira patrare, quin tragicam ea dignitatem amitteret, revera secus agere non potuisse, priore fabulae parte docemur, haud sane meram carnificinam esse monstri illius Polymestoris dirum supplicium, contra id ipsum tanto furore tantisque machinis patratum simpliciter consequi ex altera ea injuria, quam modo post inanem quidem, sed fortem contentionem mirum quantum aequo animo pertulerit misera.[23]) Quae tanta jam perpessa sit tanta gravitate et dignitate, eam excusatam habemus, quod novi facinoris immanitate in summam ulciscendi cupiditatem abrepta eadem constantia ultionem unice appetit, hanc inita sùbductaque ratione meditatur, hanc quam crudelissime conficere omnibus viribus contendit tanquam unum, quod supersit, sanctissimum officium; porro, quae in averruncanda

---

ita, ut, aperto jam ante actionem ipso ejus argumento, fere nullam vulgaris expectationis vel potius curiositatis rationem haberet. Sed mirum sane cuique videri potest, quod sunt inter viros doctos, qui eo etiam popularium auram Euripidem affectasse, quod novi et inexpectati quid iis proponeret, contendant. Mirum sane: etenim hoc si revera voluisset, nonne eo magis prologis sese abstinuisset, quippe quibus, Schlegelium si sequimur, spectatorum expectatio non augeatur, sed deminuatur.

[23]) Vischer, Aesth. I, p. 287: die tragische Handlung muss immer so beschaffen sein, dass man sieht, der Held hat gefehlt und *konnte doch nicht anders* handeln.

filiae immolatione, ob Achillis flagitatum certe specie quadam justi nisa, fortiter viro durissimo et callidissimo, Ulixi, restiterit, quae vel eo processerit insaniae, ut manibus suis contra eum defensura esset filiam, ea haud sane miraberis quod in expiando immani illo scelere, abjecta subito omni, si qua erat, animi infirmitate, excitato omni, quo ardet, agendi vigore atque impetu, iterum gravi contentione confligit cum altero Graecorum principe, Agamemnone, quem tamen fore ut facilius commoveat jure aliquo speret. Sic qui prioris partis cum rerum gravitatem tum mulieris naturam atque indolem reputaverit, facillime Hecubae ulciscendi ardentissima cupiditas unde orta sit, explicabit neque extrinsecus omnia, ex lege illa antiquissima, ex qua sanguine sanguis, caede caedes expianda, pendere putabit. Jam vero alia res est ultionis consilium, alia ipsa ultio. Atque ne haec quidem quomodo omnino fieri possit, elucet, nisi ad prioris fabulae partis res recurreris. Hecubam, si Graecorum ope careat, nil perficere posse consentaneum est; at, ut jam supra monuimus, neque satis ipsa probare potest Polymestorem neque alium quemquam occidisse Polydorum neque tales mores Agamemnoni a poeta attributi sunt, eum ut Polymestorem, regem potentissimum, Graecorum socium puniri in servae gratiam concessurum esse verisimile sit (v. 850 sqq. — v. 812: *οἴμοι τάλαινα, ποῖ μ' ὀπεξάγεις πόδα.* — v. 880). Nihilominus Hecubae quod statim de filii occisore constat, jam Agamemno quod vel in re tam ancipiti servae, quam flocci faciat, socium prodit, id unde factum esse statuis? At miserae ipsi quid amplius opus est alia ratio nisi quod, quae de Polyxena terribilia somniarit, eventu jam satis comprobata sunt? Et Agamemno vix vidit Trojani corpus laniatum, audilt lamenta mulieris infelicissimae, reputavit, quantis miseriis catervatim et uno tempore irruentibus obruta sit illa, quum gravissime admonetur, partem malorum immolata Polyxena suae ipsius animi inertiae deberi. Quare, quamvis angusti et pusilli sit animi, non potest non admittere saltem et pati socii vindictam, non ille quidem indignatione, non visis precibusque servae instigatus, sed sua ipsius culpa ad miserationem quandam erectus. Sed objiciet fortasse quispiam — sunt enim, qui, nisi digito omnia monstravit poeta, indignabundi clamitent, inferri in personarum verba, quae minime insint — ne verbo quidem Agamemnonem indicari opinatum esse, ita se optime, quae ipse peccasset, expiare, ut scelus illud matrem vindicare sineret. Sit: aperte id non dixit poeta, licet, illud quod de Polyxenae immolatione furtim adjicere videtur Agamemno (v. 731):

τἀ κεῖθεν γὰρ εὖ
πεπραγμέν' ἐστίν, εἴ τι τῶνδ', ἐξὸν καλῶς,

vim aliquam habere vix quemquam fugiat. At id ipsum consulto instituit Euripides eum in finem, ut in tanta rerum mutatione quae sentiat Hecuba, sentiat Agamemno, non tam ex accurata quadam praesentis rerum status perscrutatione manare, quam quasi ex nimia illa et improvisa rerum jam propositarum vi ac gravitate effluere videantur nulla data opera: Sin vero quis miratur, quod in priore fabulae parte Ulixem, in posteriore Agamemnonem cum Hecuba confligentem inducit poeta, is nunc sane intelliget, Polyxenae immolationem fieri non

posse nisi in Ulixis calliditate et constantia, contra Hecubae ultionem cogitari non posse nisi in Agamemnonis timiditate et inconstantia, quippe qua quid justum sit, quid injustum mirifice perturbetur.[24]) Sed id ante omnia teneri velim non sine justa causa poetam in exponenda priore implicatione, quae quidem, quum justa solutione careat, i. e. ea, qua mera illa Hecubae illata injuria expietur, huic ipsi solutioni undique viam aperiat, tam diu commoratum tamque accurate persecutum esse.[25])

Itaque, quum duplici malo duplex quaedam implicatio parata sit, priori posterior, quae Polydori nece efficitur, sic tantum inservire videtur, ea ut rerum commutationis (*μεταβολῆς*) copiam praebeat et tanquam remedium atque instrumentum sit, quo adhibito ea, quae Polyxenae immolatione praeparata et cumulata sint, enodari, atque ad justum finem perduci possint. Atque eorum quae asportato in scenam Polydori corpore aguntur, principalis causa quum ex iis repetenda sit quae modo ante terribilia facta sint, externo quidem vinculo ex Polydori nece, at interno et Polyxenae immolatione fabulae solutionem nexam esse adparet. Jam autem, si, quae diximus, habent, quo fulciantur, non ita aegre feremus, quod primo aspectu ipsa *μεταβολή* ex Polydori nece profecta extrinsecus videtur ex antecedentibus religata esse. Quamquam eam secundum probabilitatem quandam fieri quis negabit? De Polydoro diris se insomniis exagitatam esse, de Polydoro, quippe solo domus suae firmamento, vel maxime se angi questa est Hecuba ineunte fabula; de Polydoro gravissime mentionem jecit filia moribunda. Et Polydoro horrendi quid accidisse, ut Hecuba, ita spectatores praesenserunt, quoniam alterum de Polyxena visum revera evasit. Nec sane quod in ipsam Polyxenae sepulturam incidunt res Polydori, mirabitur, qui, quanti justa funebria fecerint Graeci, reputaverit. Quare quo quis gravius offendi possit, id solum in eo est, quod Polydori corpus in maris littore reperisse ancillam finxit poeta. Attamen ne vitio vertamur nostro, quod videtur casu factum esse, meminerimus interfectum esse Polydorum inexpectatum prorsus non evenire. Quodsi constat, quum non sine causa (*οὐκ εἰκῇ*) res fortuita eveniat, non excusandus, sed laudandus poeta, quippe qui aptissime ea usus sit. Atque laudat Stagirites quidem ut pulchriores eas ipsas fabulas, in quibus casu fiant, *ὅσα ὥσπερ ἐπίτηδες φαίνεται γεγονέναι*

---

[24]) Fabulae solutio quum ex eo maxime pendeat, quod Agamemno patiatur Hecubae ultionem, in gravissimo errore versatur Gruppius, qui Graecorum principis partes per totam fabulam plane otiosas esse censet. Grupp. Ariadn. p. 375: Agamemno spielt vollends die müssigste Rolle; im ganzen Stück hat er weder leidend noch handelnd den rechten Antheil. Neque ab Agamemnonis magis quam Ulixis morum notatione Aristoteleum illud *ὁμαλόν* (sibi constans, poet. c. 15) abjudicalis. Nam eum principem, qui semel Polyxenam a morte frustra defenderit, vix opineris fortiore animo Hecubae postea subventurum, ne *majorem etiam* exercitus invidiam sibi paret.

[25]) Schiller (Briefwechsel zw. Sch. u. G. III, p. 86): eben weil er (der dramatische Dichter) seinen Zweck in die Folge und das Ende setzt, so muss man ihm erlauben den Anfang mehr als Mittel zu behandeln. Quam rationem in Euripidem solum quadrare vix recte judicat Bernhardy (II, p. 637).

(poet. IX, 12): sic enim statuam Mityis Argis oppressisse occisorem Mityis contemplanti illapsam. Nam talia, inquit, non temere videntur fieri. Quid igitur multa? Ut in aliis fabulis sic in Sophoclis Oedipode rege haud absimile nec opinati casus habes exemplum. Quid enim, quod eo ipso tempore Polybum poeta mortuum esse finxit, quo in suum consilium ex hac re fortuita summum fructum capere possit? Denique ipsius lacerati corporis conspectum flagitii tanta impietate patrati gravissimum esse documentum atque tale quidem, quo vix carere possit Euripides, non est, quod moneam.

IV.

Actionis decursum si recte explanasse adhuc censendi sumus, aut jam concidit nostra de uno poetae consilio ratio, aut, admissa per Agamemnonem Polymestoris vindicta, diram ultionem Hecubae expectabis neque jam multis refutanda sunt ea, quad ab Hermanno, Schlegelio aliis viris sagacissimis de rerum personarumque morum foeditate mira sane indignatione in medium sunt prolata. Qui viri quum ex actionis connexu summo arbitrio segregarent fabulae tristissimum exitum, nimirum hunc foedum esse sibi facile persuaserunt, quasi nihil propositurus fuisset poeta summus nisi crudelissimum malefici cujusdam supplicium, quo quam maxime horrore perfunderetur iufima plebes.[26]) Verum tamen quae iis foeda, immania, detestabilia visa sunt, ea haud secus ab idoneis consiliis abhorrent, haud secus rationi repugnant, ac quae similis generis in optimis aliorum tragicorum fabulis non modo aguntur, sed in ipsa scena spectatorum oculis proponuntur. An forte negabis, si quid per se tetrum jure aliquo dicas, id tamen ipsum, modo excelsi quid innatum sibi atque admistum habeat, vel ab ipso effectu tetrum esse desierit, in tragica certe poesi admittendum esse? Quid igitur, quum consequatur necesse sit ex ea contentione, quae ad summam acerbitatis cacumen haud sane temere, sed vel maxime considerate a poeta perducta sit, Polymestoris dirum supplicium, quid dico improbemus in Euripide, quo antiquorum tragicorum in perspicienda natura feminarum nemo fuit acutior, quod in Anglo celeberrimo summis laudibus ornamus, is quum atrocissima quaeque feminarum consilia factaque, ut in Learo rege, exhibet? Nec sane, ne alia amplius afferam, in Hecuba quidquam durius invenitur quam horrendum illud *παῖσον, εἰ σθένεις, διπλῆν* Electrae Sophocleae summa in matrem ferocia saevientis. Quamquam si quid in his rebus nobis quidem durius, atque ab omni humanitate alienum videtur, probe tenendum erit, apud Graecos inimicum inexorabili odio prosequi vetus esse bonae existimationis praeceptum eorumque moribus penitus infixum, quod quidem, ut tragicorum

[26]) Herm. graef. 17. Schleg. Dram. Vorl. I, p. 275: die zweite Hälfte zerstört diese sanfteren Rührungen (?!) der ersten Hälfte auf eine höchst widerwärtige Art. Sie ist angefüllt mit der rachsüchtigen Hinterlist der Hecuba — —.

fabulis vel maxime inserviisse patet, ita a gnomicis qui dicuntur poetis gravissime saepius commendatur, quale habes Solonis (fragm. 13 Dergk):

εἶναι δὲ γλυκὺν ὧδε φίλοις, ἐχθροῖσι δὲ πικρόν,
τοῖσι μὲν αἰδοῖον, τοῖσι δὲ δεινὸν ἰδεῖν,

et longe acerbius Theognidis (v. 363):

εὖ κράτυλλε τὸν ἐχθρόν· ὅταν δ' ὑποχείριος ἔλθῃ.
(cf. v. 1089). τισαί νιν πρόφασιν μηδεμίαν δέμενος.

Quare quidquid molitur et machinatur in vindictam, quam sibi solam expetit, hominis perditi, ista mulier, quae tanta patienter perpessa jam summe concitata cum justa dignitatis suae opinione tum materna liberorum pietate eo insaniae propellitur, ut in odio et ulciscendi studio tota defixa sit, quae porro eodem tempore, quo ea constantia, quae flecti quidem posse, frangi nunquam posse videatur, acerrima justitiae vindex evaserit, praevidit suum suaeque domus inevitabilem eumque horrendum interitum futurum, haec ut ab omni humilitate aliena ita vere tragica persona est. At Hermannus, quum oculi eruantur homini scelerato filiique innocentes trucidentur, id facinus esse queritur, quod quaevis fera bellica patret, quasi minus hoc ferri possit quam Medeae illud flagitium! Quae dira perpessa est, diram instituit ultionem: quae ipsa liberis destituta est, Polymestorem liberis vult destitui, quo magis ipse occaecatus, quid illud sit, si quis aliorum crudelitate liberis careat, penitus persentiscat. Sed idem v. d. quum dicat tragica Euripidi visa esse, quae nihil aliud sint nisi detestabilia, magis etiam ejus, qui plectitur, Polymestoris moribus quam ipsius Hecubae offensus est. Sit: concedimus nos tragica miseratione hominis moribus non commoveri, immo cupimus eum puniri, gaudemus paratam vindictam. At numquid omnino opus est ea erga Polymestorem miseratio, quam sibi voluit Hermannus? Minime, etenim Hecubae quum primariae partes sint attributae, secundae Agamemnoni, quocum maxime illi agendum est, tertiae Polymestori, qui patitur magis quam agit, quid tandem desideramus amplius, quam quod erga Hecubam, in quam ingentem irruere videmus malorum injuriarumque molem, revera summam miserationem tragicam excitatur? Quare etiam Hermannus quod vi aliqua pronuntiat, non supplicia sontium, sed mala insontium videre velle, qui in theatrum tragoedias spectatum veniant, dum accusat, nonne fulcire potius nostram causam putandus est? Alia quidem ea est quaestio, placitum illud num omnino nobis probetur necne: de qua hic unum indicare liceat, quod, si exempla, ut ajunt, optime loquuntur, ex celeberrimis petita tragoediis, facile quis demonstrabit, et utrumque fieri posse neque in una fabula, ut in nostra, altero alterum prorsus excludi. Verum tamen Aristoteles quod non debere malos homines ex adversis rebus in secundas deduci docet, id ad principalem personam, in cujus rebus proponendis vel unice vel maxime alicujus fabulae argumentum versatur, solam referendum esse, minime ad omnes quaslibet, qui in scenam prodeunt, personas, in aperto est. Atque jam satis videtur esse quod bene a poeta provisum est, ut homo nefarius, quem dolo circumventum sine ulla

praesidii et salutis spe in perniciem ruere videamus, habeat revera quiddam, quod humanitatis quodam sensu nos corripiat, nisi quis obloquitur Stagiritam eadem ratione, qua honestos mores (χρῆστον ἦθος) ad unum omnibus personis tribuendos censeret, illud φιλάνθρωπον (poet. XIII, 4) omnino ab omni arte tragica excludi voluisse. De quibus rebus quid senserit summus philosophus quum certo dijudicare haud ita facile sit neque hic certe tribus verbis expediri possit, contra tantum monendum erit, si quid ipsorum poetarum, imprimis summi, quem terra tulit, tragici, Shaksperii auctoritas valeat, revera locum suum in tragoediis habere vel sceleratissimos homines. Quodsi fieri potest, ut erga Ricardum tertium vere tragica excitetur miseratio, cur illum humanitatis sensum erga hominem, qui ne principales quidem partes agat, a tragica poesi alienum dicamus? Et profecto non in majus rudis populi gaudium tales Polymestori mores a poeta tributae sunt, sed quo magis Hecubae, certae jam ulciscendi consilii animus exacerbetur neve ulla omnino odii remissio possit cogitari. Quare poeta, qui non arbitrio Polymestoris mores malos repraesentat, laude aliqua dignus est, quod miram hominis cum aviditatem tum contumaciam egregia arte depinxit. Jam vero ne in eo quidem adstipulemur Hermanno, quod longas illas orationes, quibus tanquam in forensi certamine litigantes causas suas orant Hecuba et Polymestor, laudibus suis ornavit vir acutissimus. Hae enim revera, ultione semel patrata, cum longiores sunt et argumentis pleniores tum maxime sive Hecubae sive Polymestoris summae animi commotioni parum accomodatae quam quae, si ex nostro quidem sensu judicandae sunt, ab omni parte possint probari. Attamen causa ipsa ab Agamemnone instituta habet sane aliquid excusationis neque solum in eo id positum esse arbitramur, quod talia et adamasse nostrum neque displisuisse Atheniensibus dicunt. Res enim, accurrentibus undique Graecis, ut qui, utrius partes studiis sustentandae sint, incerti haereant, in eo jam discrimine versantur, quod sic quidem ferri vix possit. Quid, quod Polymestoris vindicta non potest non speciem et crudelissimi et injustissimi facinoris iis prae se ferre videri? Huc accedit, quod, quum Bellerophon, quamvis deos esse negarit, postremo tamen de justo rerum ordine sententiam mutet, contra Polymestoris vel ipsum supplicium perpessi tanta videtur nefaria contumacia, ut in omnium eum contemptum incidere necessarium paene habeas. Quare, ne in tanta re quidquam incerti remaneat, ipsius Graecorum principis judicio quasi communi omnium opinione, prorsus damnari Polymestorem, triumphare Hecubam finxit poeta. Atque jam ex Polymestoris dira ferocia dira etiam exsecratio illa Hecubae et Agamemnonis satis opportune videtur redundare, quae si recte intelleximus poetam, revera nihil aliud est nisi non vulgare quidem, sed necessarium indicium supremae ejus justitiae, quae, quod ipsi illi injuriae vindices pro sua quisque parte peccarint, justa iis ratione exsolvat.[27])

[27]) Lessing, Dram. Hamb. XLIX: Wenn Aristoteles den Euripides den tragischsten aller tragischen Dichter nennt, so sah er *nicht bloss* darauf, dass die meisten seiner Stücke *einen unglücklichen Ausgang*

V.

Jam his expositis de iis breviter monere liceat, quae inprimis ab Hermanno de laesa in Hecuba fabula actionis unitate tamquam de re satis explorata allata sunt. Is igitur vir praestantissimus quod dicit, et Polymestor interemisset Polydorum, si ne nata quidem esset Polyxena, Polyxenam autem sibi sacrificari poposcisset Achilles, si nullus unquam Polydorus fuisset, id nemo non statim concedet; attamen duas actiones vel duarum tragoediarum argumenta continere fabulam tempore quidem, sed non re conjuncta, aut negabit aut quae diximus, plane abjicienda sunt. Inde enim elucere patet, ex certa quadam tragica sententia, qua quidquid proponitur, constringatur, universam actionem ita nexam atque suspensam esse, ut neque Polyxenae immolatione totum efficiatur detracta Polymestoris vindicta neque haec quidem recte procedat sublata priore parte. Et, si quid video, non ea vis est primariae illius artis tragicae legis, ut actionis unitas cogitari possit nulla nisi in actionis vel potius argumenti simplicitate; obstat quidem Horatianum illud: denique sit quodvis *simplex dumtaxat et unum*, quod praeceptum quamvis in antiquorum tragoedias quadret, tamen recentiorum fabulis prorsus diluitur; neque Aristoteles quum necesse unam (einheitlich) esse argumenti tragici compositionem (μῦθον, cf. poet. VI, 8) esse doceret, rerum varietatem, quasi inde una nunquam oriri posset actio, a tragoediis prohibuit. Quamquam Hermannus in eo ipso Stagiritam secum facere gloriatur, quod ponit, rationi repugnare conjungi in unum, quae non sint unum, atque ut partes rei afferri, quae non sint partes. At hac ratiocinatione, quae quidem magni quid sonare videtur, ad unum omnes poetas, qui multiplicem rerum varietatem proposuerunt, capitis damnare ausus est, quasi hi omnes, in quibus sunt celeberrimi, ut ratione orbati, principale illud praeceptum gravissime violassent. Quidni duas, quidni complures res in unam actionem conjungere liceat unicuique poetae, modo omnes in unum finem ut conspirent, ipsa ingenii arte et disciplina efficiatur ideoque partes evadant, quae per se quidem partes non fuerint? Et sane in hanc quaestionem alicujus momenti sunt quae Aug. Schlegel, qui est inter acerbissimos nostri vituperatores, de actionis unitate egregie exposuit. Cujus verba affero haecce (Dram. Vorl. II, p. 79): die einzelnen Theile eines Kunstwerks dienen insgesammt einem allgemeinen Zweck, nämlich einem Gesammteindruck auf das Gemüth. Die

---

haben; ob ich schon weiss, dass viele den Stagiriten so verstehen. Denn das Kunststück wäre ihm ja wohl bald abgelernt und der Stümper, der brav würgen und morden und keine seiner Personen gehend oder lebendig von der Bühne kommen lässt, würde sich eben so tragisch dünken dürfen wie Euripides. Et profecto illud, quod de tristi Eurip. fabularum exitu dicunt, satis decantatum videtur. Tanquam omnino fieri possit, ut exitus alicujus fabulae, cujus partes antecedentes nullo modo hunc in finem conspirent, vere tragicus sit! Quare etiam philosophum verbis vexatissimis *εἰ καὶ τἆλλα μὴ ἐς οἶκονομεῖ* non tam universam fabularum compositionem, sed singula quaedam — prologos dico, chori cantica, deos ex machina, alia — poetae vitio vertisse statuerim.

Einheit liegt also in einer höheren Sphaere, im Gefühl oder in Beziehung auf Ideen.[28]) Jam igitur, ut cum Hermanno tale internum vinculum sive nullum esse sive flocci habendum opineris, inquiras quaeso in Shakspearii ne aliorum dicam tragoedias: luculentissimam invenies materiam, qua Hermanni rationem si probaveris, iis ipsis actionis unitatem abrogare debeas. Sed licet Hermanno duce cum Leari regis vesania nihil videatur commune habere Glosteri occaecatio ab Edmundo filio patrata, nihil cum Tellii facinore conjuratio illa in Ruetlio monte inita, tamen non tempore quidem, sed re etiam has res inter se junxerunt, non temere inerti ingenio indulgentes, sed satis considerate omnia unius actionis finibus circumscripserunt totumque posuerunt poetae. Quare, quia non absimilia dicas πράγματα illa, quibus nostrae fabulae πρᾶξις efficitur, caveas, ne in Euripide inani rerum novarum studio soli imputes, quod potius haud leve consideratae cujusdam audaciae et inventionis et compositionis praebeat documentum.

Iis vero, qui actionis decursum prae se ferre epicae potius quam dramaticae compositionis speciem clamitant, reputandum erit, eum rerum ordinem, quem instituit poeta summus, satis excusari ipso poetae consilio ipsoque rerum proponendarum egregio connexu.[29])

Itaque, quum finis huic scriptioni faciendus sit, in aestimanda fabula nec errores nos evitasse nec materiam propositam ad finem perduxisse confidimus: id tamen hac nostra opella effectum arbitremur, certum consilium in componenda Hecuba constanter persecutum esse poetam. Jam etiam a caeca quadam nostri admiratione (Herm. praef. p. 7) alieni nobis videmur. Quamquam, quum ad certas quasdam regulas, ex quibus certum judicium facili negotio constituas, haud sane exigi possint summorum poetarum monumenta, ii nobis rectius facere videntur, qui primum pietate aliqua in ea animum intendant, quae sive laudanda sive excusanda inveniantur, quam qui acriore quam oportuit studio ea statim accipere et sectari praeoptent, quaequae sint vituperanda. Quam rationem quum secutos nos esse libere fateamur, eo majore jure pro viribus nostris exiguis defendendi a criminibus poetae periculum fecimus, quo severius et iniquius eum detrectasse nobis quidem persuasimus nostri temporis viros eruditissimos.

---

[28]) Idem p. 98: warum sollte nicht der Dichter verschiedene eine Zeitlang abgesondert für sich bestehende Ströme menschlicher Bestrebungen neben einander bis zu ihrer brausenden Vereinigung fortleiten können, wenn er den Zuschauer auf eine Höhe zu stellen weiss, wo er ihren Gang übersieht?

[29]) Cf. Lessing. Dram. Hamb. St. 46: Was will man mit der Vermischung der Gattungen überhaupt? In den Lehrbüchern sondere man sie so genau von einander ab als möglich; aber wenn ein Genie, höherer Absichten wegen mehrere derselben in einem und demselben Werke zusammenfliessen lässt, so vergesse man das Lehrbuch und untersuche bloss, ob es diese höheren Absichten erreicht hat. Was geht mich es an, dass so ein Stück des Euripides weder ganz Erzählung noch ganz Drama ist? Nennt es immerhin einen Zwitter; genug, dass mich dieser Zwitter mehr erbaut, als die gesetzmässigen Geburten eurer correcten Racine und wie sie sonst heissen.

Schulnachrichten.

Folgende Lectionen wurden in den verschiedenen Classen und Fächern im abgelaufenen Schuljahre beendigt:

Prima.

Classenordinarius: Der Rector.

Griechisch, 6 St. Sommersemester: Thucydides III, 1—85. IV, 1—65. Wintersemester: Demosthenes Reden, Olynthische I—III, Philippische I—III. und de rebus chers. 3 St. Griechische Exercitien nach Dictaten, 1 St. Conr. — Sophocles Antigone und König Oedipus, 2 St. Rector. — Lateinisch, 3 St. Exercitien nach deutschen Classikern; Aufsätze, Extemporalien, 2 St. Cicero's Tusculanen I. V. II. III, 2 St. Rector. — Tacitus Annalen IV, 66—75. V, 1—5. VI, 50. 51. XI, 13—25. 33—38. XII, 1—4. 41—43. 64—69. XIII, 1—5. 15—17. 51—58. XIV, 1—17. XV, 42—44. 60—65. XVI, 21 bis zu Ende. Germania, 2 St. Catull Carm. 1. 2. 3. 9. 12. 14. 22. 31. 46. 49. 51—53. 65. 66. 108. Tibull Eleg. I, 1. 3. 7. 10. Properz Eleg. IV, 1, 1, 1. 6. 15. 11. V, 11. Horaz Epoden 7, 16. Oden 1, 2. Epod. 1, 9. Oden 1, 37. 12. III, 1—6. IV, 6. Car. Saec. IX, 2. 5. 4. 14. 15. 1, 7—9. II, 3. 10. 14. 16. 2 St. Jansen. — Hebräisch, 2 St. Im Sommer 2tes Buch Samuelis cursorisch, im Winter Psalmen 1—28. Boyens. — Deutsch, 2 St. Grössere Aufsätze, Vorträge, deutsche Literaturgeschichte vom Anfang des 18. Jahrhunderts bis zur neuesten Zeit. Rector. — Dänisch, 2 St. Schouw, Naturskildringer; seit Neujahr Oersted Aanden i Naturen. Conr. — Französisch, 1 St. Gelesen: Mignet histoire de la revolution française, mit Auswahl. Jansen. — Englisch, 2 St. Shakespeare's König Lear und Sommernachtstraum. Coll.

Religion, 2 St. Im ersten Semester: Erklärung des Römerbriefs, im zweiten: Religionsgeschichte und zwar zuerst der heidnischen Religionen, dann der christlichen Religion bis Augustin. Rector. — Geschichte, 3 St. Im ersten Semester: neueste Geschichte von 1789—1815; daneben Repetition der vaterländischen; im zweiten: alte Geschichte bis 500 v. Chr.; daneben Repetition der neuesten. — Geographie, 1 St. Mathematische Geographie; zweite Hälfte nach Wiegand. Petersen. — Mathematik, 3 St. Im ersten Semester: Kegelschnitte nach Grunert 2 St. Repetition der Planimetrie 1 St.; im Wintersemester: Stereometrie nach Kaufmann 2 St. Algebra 1 St. Petersen. — Physik, 2 St. Electromagnetismus, Magnetelectricität; Mechanik fester Körper nach Brettner. Petersen.

Secunda.

Classenordinarius: Der Conrector.

Griechisch, 6 St. Xenoph. Hell. II, 4 — IV, 4. Isocrat. Areopag. u. Herod. I, 1—70. 3 St. — Exercit. nach Rost u. Wüstemann, 3r u. 4r Curs. 1 St. Rector. — Hom. Od. I—X. 2 St. Conr. — Lateinisch, 8 St. Sall. Jug. u. Cat. Cic. in Cat. I—IV u. pro Murena, 4 St. Conr. — Virg. Aen. VIII u. IX, 2 St. Coll. — Exercit. nach Bombard, u. Gramm. mit Extemporalien, 2 St. Conr. — Hebräisch, 2 St. Formenlehre zu Ende mit Einschluss der unregelmässigen Verba. Lectüre aus Gesenius Lesebuch. Boyens. — Deutsch, 2 St. Lectüre deutscher Classiker, und jede dritte Woche ein Aufsatz. Subr. — Dänisch, 2 St. Flor's Haandbog u. Extemporalien. Coll. — Französisch, 2 St. Gelesen aus Schwob's Chrestomathie Th. II. mit regelmässigen Extemporalien, 1 St. Grammatik mit schriftl. u. mündl. Uebungen, 1 St. Jansen. — Englisch, 2 St. Gelesen W. Scott's Ivanhoe und später W. Irving's Bracebridgehall. Schiller's Parasit in's Englische schriftl. u. mündl. übersetzt. Conr.

Religion, 2 St. Kirchengeschichte ganz. Rector. — Geschichte, 2 St. Im Sommer: vaterländische Geschichte, daneben Repetition der alten u. der neueren von 1648—1789; im Winter: mittelalterliche Geschichte, daneben Repetition der alten u. vaterländischen. Jansen. — Geographie, 1 St. Bodenkunde Asiens u. der Mittelmeerländer. Jansen. — Mathematik, 3 St. Die Arithmetik wurde beendigt, darauf Stereometrie nach Kauffmann. Subr. — Physik, 2 St. Electromagnetismus, Magnetelectricität; Mechanik fester Körper, nach Brettner. Petersen.

Tertia.

Classenordinarius: Subrector Dr. Müller.

Griechisch, 4 St. Exercitien u. Grammatik nach Curtius und Schenkl, 1 St. Lectüre 3 St. Xenoph. Anab. IV u. VI. Homer's Od. XVI u. XVII, 1—200. Conr. — Lateinisch, 8 St. Ovid's Metam. 2 St. Die erste Abtheilung der Classe wurde vom Subrector, die zweite vom Collaborator unterrichtet. Cäsar's bell. Gall. 4 St.; die erste Abth. lib. IV bis VI, 24. Subr. 2te Abth. lib. IV, 1 — VI, 16. Jansen. Gramm. u. Exercit. 2 St.; erste Abth. nach Zumpt u. Spiess. Subr. 2te Abth. nach Gröbel. Jansen. — Deutsch, 2 St. Uebungen im mündlichen Vortrage u. jede 3te Woche ein deutscher Aufsatz. Boyens. — Dänisch, 2 St. Gelesen wurde aus Holst's dän. Lesebuche. Boyens. — Französisch, 2 St. Gelesen wurde aus Schwob's Chrestom. Th. I. mit Extemporalien über ein kleines memorirtes Pensum, 1 St. Gramm. mit schriftl. Uebungen, 1 St. Jansen. — Englisch, 2 St. Erste Abth. im Sommersemester: W. Scott's Kenilworth, u. Exercit. nach Knorr; im

Winter: Dickens Sketches, und Exercit. nach Dictaten. Conr. 2te Abth. The Mission von Marryat, und Exercit. nach Knorr. Coll.

Religion, 2 St. Geschichte des alten Bundes, dann Christi und seiner Apostel. Rector. — **Geschichte**, 2 St. Im Sommer Wiederholung der alten Geschichte, im Winter mittlere Geschichte bis 1492. Boyens. — **Geographie**, 2 St. Im Sommer Europa, im Winter die aussereuropäischen Welttheile. Petersen. — **Mathematik**, 3 St. Planimetrie 2te Hälfte; dann Arithmetik nach Koppe. Subr. — **Physik**, 2 St. Optik und Mechanik. Petersen. — **Zeichnen**. Die Classe war in 2 Abtheilungen getheilt, deren jede 1 Stunde hatte. Wolperding.

Parallelstunden für die Nichtgriechen: **Französisch**, 2 St. Histoire de Charles XII. par Voltaire. Coll. — **Rechnen**, 2 St. Kaufmännisches Rechnen nach Sass. Petersen.

Quarta.

Classenordinarius: **Collaborator** Dr. **Struve**.

Griechisch, 4 St. Formenlehre nach Curtius bis zum Verbum auf, $\mu\iota$; daneben mit der zweiten Abtheilung schriftliche Flexionsübungen, mit der ersten auch Lectüre aus Schenkl's Elementarbuch. Jansen. — **Lateinisch**, 8 St. Jacobs' und Döring's lateinisches Lesebuch, 2tes Bdchn., 4 St. Tirocinium poeticum von Siebelis, 2 St. Exercitien nach Gröbel's Anleitung, 2 St. Coll. — **Deutsch**, 2 St. Aufsätze und Uebungen im Recitiren und Declamiren. Coll. — **Dänisch**, 2 St. Blichert's Lesebuch. Brünning. — **Französisch**, 2 St. Uebersetzt wurde aus Schwob-Dollé's Chrestomathie; Exercitien nach Müller's französischer Grammatik, 1ster Th. Coll.

Religion, 2 St. Der lutherische Katechismus wurde erklärt. Bibelsprüche und Gesänge wurden memorirt. Brünning. — **Mathematik**, 2 St. Planimetrie, die drei ersten Abschnitte nach Kaufmann; Ausziehung der Quadrat- und Cubikwurzeln; die vier Species mit entgegengesetzten Grössen. Petersen. — **Rechnen**, 2 St. Nach Kroymann (Davids). Subr. — **Geschichte**, 2 St. Im Sommerhalbjahre Griechische Geschichte, im Winterhalbjahre Römische Geschichte. Boyens. — **Geographie**, 2 St. Im Sommerhalbjahre die aussereuropäischen Welttheile, im Winterhalbjahre Europa. Petersen. — **Schreiben**, 2 St. Brünning. — **Singen**, 1 St. Choräle und zweistimmige Lieder. Brünning. — **Zeichnen**, 1 St. Wolperding.

Parallelstunden. — **Englisch**, 2 St. Nach van den Berg's practischem Lehrgang. Trede; später Conr. — **Rechnen**, 2 St. Kopfrechnen und Tafelrechnen in der Weise des Kopfrechnens. Petersen.

Quinta.

Classenordinarius: Hülfslehrer Dr. Trede
bis zu seinem Tode.

Die Pensa in den einzelnen Fächern anzuführen ist wegen des plötzlichen Absterbens des Classenlehrers nicht möglich; es genüge daher eine blosse Angabe der Fächer.

Latein, 8 St. Trede. Nachher lateinische Exercitien nach Gröbel mündlich, 2 St. Rector. Lateinische Grammatik, 2 St. Subr. Jacobs' Elementarbuch, 1stes Bandchen, 4 St. Coll. — **Deutsch**, 4 St. Trede. Nachher Lesen und Aufsätze, 2 St. Brünning. Grammatik, 2 St. Fack. — **Französisch**, 2 St. Trede. Nachher Jansen, nach Ahn.

Religion, 3 St. Der erste Artikel, das erste Hauptstück und der zweite Artikel des lutherischen Katechismus, 2 St.; Wiederholung der biblischen Geschichte, 1 St. Die erklärten Abschnitte des Katechismus, Bibelsprüche und Gesänge wurden memorirt. Brünning. — **Geschichte**, 2 St. Trede, nachher Boyens; neuere Geschichte. — **Geographie**, 2 St. Trede, nachher Petersen; Europa. — **Naturgeschichte**, 2 St. Zoologie und Botanik nach Leunis. Petersen. — **Rechnen**, 4 St. Im Sommer: Erklärung und Einübung der Regeldetrie; im Winter: die vier Species in ganzen und gebrochenen Zahlen. Subr. — **Schreiben**, 3 St. Meistens nach Vorlegeblättern. Brünning. — **Singen**, 1 St. Nach Noten; Chorale und Lieder. Brünning. — **Zeichnen**, 1 St. Wolperding.

Sexta.

Classenordinarius: Lehrer Boyens.

Lateinisch, 8 St. Die regelmässigen Declinationen und Conjugationen wurden eingeübt; daneben Lectüre aus „Scheele's Vorschule"; 2 Mal in der Woche ein Exercitium. Boyens. — **Deutsch**, 4 St. Jede Woche wurde ein Dictat und alle 14 Tage ein Aufsatz (Nacherzählung) geschrieben. Auswendiglernen von kleinen Gedichten und kleinen prosaischen Stücken zum freien Wiedererzählen. Boyens.

Religion, 4 St. Biblische Geschichte. Brünning. — **Geschichte**, 4 St. Biographische Bilder aus der alten Geschichte. Boyens. — **Geographie**, 2 St. Im Sommer die aussereuropäischen Welttheile, im Winter Europa. Petersen. — **Naturgeschichte**, 2 St. Botanik und Zoologie nach Leunis. Petersen. — **Rechnen**, 4 St. Die zweite Abtheilung die Grundrechnungsarten, die erste Abtheilung die Bruchrechnung. Brünning. — **Schreiben**, 3 St. Nach Vorschriften an der Wandtafel. Brünning. — **Singen**, 1 St. Chorale und Lieder nach dem Gehör eingeübt. Brünning. — **Zeichnen**, 1 St. Wolperding.

Septima.

Classenordinarius: Lehrer Fack.

Religion, 4 St. Biblische Geschichten des A. u. N. Testaments. Daneben wurden gelernt das erste Hauptstück des lutherischen Katechismus und Sprüche aus Bibel und Gesangbuch. — Deutsch, im Sommersemester 8, im Wintersemester 7 St. Es wurde gelesen aus F. Seinecke's deutschem Lesebuch für die untern Classen der höhern Lehranstalten. Abschnitte in Prosa und kleine poetische Stücke wurden memorirt; Geschichten zum Wiedererzählen benutzt; dazu die ersten sprachlichen Belehrungen und Uebungen. — Rechnen, 6 St. Nach dem ersten Uebungsbuch von Sass und nach gegebenen Aufgaben. — Schreiben, 6 St. Kalligraphische und orthographische Uebungen. — Singen, 1 St. Stimm- und Gehörübungen. Gesungen einfache Choräle und Lieder. — Naturgeschichte, 2 St. Im Sommersemester Beschreibung von Pflanzen und einzelnen Mineralien, im Wintersemester die Säugethiere nach Abbildungen. — Geometrische Formenlehre, 1 St. im Sommersemester, statt dessen im Wintersemester Geographie von Europa. Fack. — Zeichnen, 1 St. mit der untern Abtheilung der Sexta. Wolperding.

Ostern 1862 gab der frühere Lector *Manier* den Unterricht an der Gelehrtenschule in der französischen Sprache auf und verliess die Stadt. Es schien jetzt dem Lehrercollegium angemessen, den Unterricht in den neueren Sprachen selbst zu übernehmen, und um einen Hülfslehrer anzusuchen, damit eine Theilung der lateinischen und englischen Stunden in Tertia ermöglicht würde. Deshalb trat der Lector der englischen Sprache an der Universität, Herr *Lubbren* zurück, der bisher den Unterricht im Englischen mit grossem Fleiss und treuer Gewissenhaftigkeit gegeben, und dem die Schule dafür den wärmsten Dank abstattet. Das Königliche Holsteinische Ministerium billigte diesen Plan, und dem Rector ward aufgetragen, für diese neue Stellung einen Hülfslehrer zu berufen in der Person des Dr. *Heinrich Trede*. Die übrigen Lehrer theilten den Unterricht im Französischen und Englischen unter sich. Nach dem Tode des Dr. *Trede* übernahmen die Collegen die Stunden desselben bis Ostern, da ein anderer Hülfslehrer nicht zu finden war, es auch nicht zweckmässig erschien, mitten im Semester einen neuen Lehrer in den Unterricht eintreten zu lassen. Wir hoffen, dass zu Ostern die Stelle ausgefüllt werde.

Die Zahl der Schüler betrug:

	I.	II.	III.	IV.	V.	VI.	VII.	Summa.
Ostern 1862.	16.	26.	38.	37.	35.	47.	36.	235.
Michaelis 1862.	14.	27.	42.	38.	35.	41.	43.	240.

Ostern 1862 wurde im Abiturientenexamen nach dem Normativ vom 9. December 1857 ein Abiturient geprüft, nämlich *Walter Heinrich Chalybäus* aus Kiel. Er erhielt das Prädicat „völlig reif.“ Michaelis 1862 wurden examinirt: *Ludwig Christian Heinrich Mau* aus Kiel, *Heinrich Friedrich Christian Dose* aus Brunswieck, *Heinrich Otto Lembke* aus Kiel. Alle erhielten das Prädicat „reif.“ Ein Primaner ging Ostern, zwei Michaelis ohne Examen ab. Es wurden ihnen die Abgangszeugnisse verweigert. Das Abgangsexamen bringt den Schülern viele Arbeit, den Lehrern viele Mühe. Wenn nun ohne allen Nachtheil, denn das Schulzeugniss kann den Meisten sehr gleichgültig sein, die Schüler ohne Examen die Schule verlassen können, ist das Gesetz über das Abgangsexamen ohne Wirkung. Möge dem bald abgeholfen werden.

Zu andern Fächern gingen im Laufe des Schuljahr's ab, und werden jetzt abgehn:

Name.	Geburtsort.	Abgangszeit.	Classe.	Beruf.
T. D. K. Bluhme.	Kiel.	Michaelis 1862.	Secunda.	Unbestimmt.
O. A. Ch. Blunck.	—	Neujahr 1863.	Tertia.	Lithograph.
E. Leisching.	—	—	—	Postfach.
L. H. Edding.	—	—	—	—
Th. Ch. Lembke.	—	Ostern 1863.	Secunda.	Kaufmann.
Chr. F. A. Hansen.	—	—	—	—
F. Klinge.	—	—	—	Seemann.
S. K. J. Hess.	—	—	Tertia.	Kaufmann.
W. A. J. Schwerdtfeger.	Bürau.	—	—	Landmann.
E. Ch. Rahtlev.	Kiel.	—	—	Techniker.
A. W. Wilckens.	Angeln.	—	—	Landmann.

Der Tod entriss uns zwei Schüler; einen Primaner *H. F. K. Jürgens* aus Kiel am 1. April 1862 im 19. Jahre nach langem Krankenlager. Er war erfüllt von grossem Wissensdrang und machte so bedeutende Fortschritte, allein sein schwächlicher Körper konnte die Arbeit nicht tragen, er unterlag der Schwindsucht, betrauert von Aeltern und Lehrern. Ein fröhlicher, gutartiger, fleissiger Knabe in Septima *J. N. K. Lehmann* starb im 8. Jahr am Nervenfieber den 25. August 1862.

Ostern 1862 wurden zum zweiten Male die Preise des Kamla'schen Legats für Fleiss und Betragen nach Beschluss des Lehrercollegiums vertheilt; diese erhielten die Primaner *Lembke* aus Kiel und *Dose* aus der Brunswieck und die Secundaner *Kröger* aus Blumenthal und *Dose* aus Oldenswort.

Bei der vom Herrn Etatsrath *Hegewisch* gestifteten Prämie für Schüler der beiden obern Classen, welche sich in der Mathematik auszeichnen, kamen in Betracht: die Primaner *Kröger* aus Blumenthal und *Boie* aus Kiel, die Secundaner *Elsner* aus Preetz und *Lütje* aus Kiel. Das Loos entschied für *Boie*.

Die Bibliothek und naturwissenschaftlichen Sammlungen wurden nach den Geldmitteln vermehrt. Dem hohen Königlichen Ministerium, so wie den Herren Administratoren der Christianischen Stiftung stattet die Schule den verbindlichsten Dank ab für ihre Geschenke an die Bibliothek.

Den Turnunterricht leiteten im vorigen Sommer in 10 wöchentlichen Stunden und verschiedenen Abtheilungen der neunte Lehrer *Fack* und der Gymnastiklehrer *Eggers*.

Sicherem Vernehmen nach sind vom Königlich Holsteinischen Ministerium für den Neubau der Gelehrtenschule 15,000 Rthlr. bewilligt. Mögen jetzt auch die Behörden der Stadt, die sonst sich immer liberal zeigen, eine entsprechende Summe bewilligen, damit die Uebelstände des jetzigen Gebäudes bald gehoben werden.

Das öffentliche Classenexamen wird von Montag, den 23., bis Freitag, den 27. Marz, von 8—12 Uhr Vormittags und von 2—4 Uhr Nachmittags in näher zu bestimmender Ordnung abgehalten.

Zu diesem Examen ladet der Rector den Hochlöblichen Magistrat wie das Collegium der Stadtverordneten, das ehrwürdige Ministerium, die verehrlichen Mitglieder der Universität und des Oberappellationsgerichts, die Eltern und Vormünder unserer Schüler, so wie die Gönner und Freunde unserer Anstalt ehrerbietigst und geziemend ein.